Pol. 8 - II - 1181

GG. 3.
(2. 62)

JURA
REVERENDISSIMI CAPITULI VARMIENSIS,
CIRCA ELECTIONEM EPISCOPI.

1724.

BIBLIOTEKA ELBLĄSKA
2603

Pol 8.° II 1181
Estr. XVIII, 670

Biblioteka Uniwersytecka
Stacja Ksiąg
w Toruniu

Varmien. Electionis, seù Postulationis.

1. *Eme, & Rme Dne.* POllentibus in anteactis seculis vniuersis ferè Catholici Orbis Capitulis ex Generali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ largitate, liberâ facultate proprium sibi Pastorem, ac Episcopum eligendi, de quo eruditè testatur *Thomassin. de veter., & nou. Eccles. discipl. part. 2. libr. 2. cap. 31. cum plurib. seqq.*

2. Hæc ipsa libertas sarta, tectaque præservata fuit Insigni Ecclesiæ Varmiensis, vsque ab eius exordiis, quæ refert ad annum reparatæ salutis 1264. Nàm felicis recordationis Alexander PP. IV. siue eius vice Angelus Episcopus Sambinen. tunc in Terris Prussiæ fungens munere legati à latere erigendo in Cathedralem Ecclesiam Brunsbergæ, quæ caput est Prouinciæ Varmiensis, liberam Electionem proprii Episcopi tribuit Reverendissimo Capitulo, & Canonicis ibi: *Sanè Episcopum eligendi, seù postulandi, Canonici dictæ Ecclesiæ liberam facultatem habeant:* vt ex nostro *Summario num. 2. littera C.*, In qua libertate idem Capitulum, eiusque Canonici, quoque perseuerarunt vsque ad annum 1479., quo tempore pactum inierunt cum Casimiro Poloniæ Rege, vt personam ei gratam eligere deberent, *vt in Summario numer. 5.*, seù de anno 1512., quandò inter Capitulum antedictum, & glorioſæ memor.

Sigiſmundum I. Poloniæ Regem ſolemnis inita fuit concordia, qua mediante conuenerunt, ut eveniente Eccleſiæ vacatione Capitulum tranſmitteret Regi canonem, ſeù Elenchum omnium Prælatorum, & Canonicorum eiuſdem Eccleſiæ, ex quibus Rex quatuor ſeligeret, & per ſpecialem Nuncium remitteret ad Capitulum, vt inde Canonici vnum ex illis in proprium Epiſcopum poſſent eligere, quem digniorem iudicâſſent, & Rex demùm hunc ità electum à Capitulo Summo Pontifici commendaret pro electionis confirmatione, vt recognoſci poteſt ex noſtro *Summario num. 30.* Itaque concordia confirmationis robur ſucceſſiuè obtinuit à ſan. mem. Leone X. *Summario num. 7.*, ſicuti approbata ſimilitèr fuit à Regibus Succeſſoribus, *Summario numero 11. littera B. cum tribus numeris ſubſequentibus.*

3. Cum verò ſub hac methodo conſtantiſſimè fuerit proceſſum per plura ſæcula, atque ità ſemper electiones noſtri Reuerendiſſimi Capituli à Summis Pontificibus confirmatæ, vt patet ex *Summario num. 8.*, Aduenta nuper viduatione dictæ Sedis Epiſcopalis per aſcenſum Epiſcopi Varmien. ad Eccleſiam Gneſnenſem Primatialem Regni Poloniæ, Noſtrum Capitulum non omiſit ſua facultate vti eligendo, ſeù poſtulando Reuerendiſſimum Epiſcopum Præmislien, modòque humiliter ſupplicat pro confirmatione eius electionis, ſeù admiſſionis poſtulationis petendo, vt in Decretis Prouiſionum hujus Eccleſiæ, & in expeditione Bullarum fieri debeat mentio hujus Electionis, ſeù Poſtulationis, quodque prò futuris Electionibus ſeruetur forma memoratæ concordiæ, & exaudiri ſperat.

4. Profectò vt eius iuſtiſſimæ inſtantiæ adhærendum ſit, ſatis eſſe poteſt ſubjicere oculis Eminentiſſimorum Patrum gemina decreta huius Sacræ Congregationis, alterum nempè 4. Decembris 1698., & alterum 7. Decembris 1711.,

1711., quibus hoc idem definiuit, vt scilicèt tàm in Decretis prouisionum, quàm in expeditionibus Bullarum vltrà supplicationem Regis fieri mentio deberet de electione, seù postulatione Capituli iniungendo, vt hoc in futurum foret seruandum, vt constat ex primo Decreto, de quo in nostro *Summario num. 28.* ibi= *Cum Capitulum, & Canonici Cathedralis Ecclesiæ Varmien. eueniente casu vacationis ius eligendi Episcopum sibi competere deduxerint &c. ab aliquo autem tempore supplicationis tantùm Regum Poloniæ mentio facta sit, ideoque Capitulum, & Canonici præfati, nè illorum ius detrimentum patiatur, supplicauerint, vt deinceps in huiusmodi Decretis, Electionis, seù Postulationis Capituli mentio fieri debeat, Sacra Congregatio Rebus Consistorialibus præposita supplicationi Capituli annuendum censuit, & in posterum huiusmodi Electionis, seù Postulationis vnà cum supplicatione Regis Poloniæ in Decreto, ac schedula Consistorii, quoties dictam Ecclesiam vacare contigerit, mentionem respectiuè faciendam esse mandauit, & facta relatione Sanctitas Sua Sacræ Congregationis sententiam benignè approbauit=* cum quo consonat etiam secundum relatum in nostro *Summario num. 29.* Ex vno enim, atque altero ex relatis Decretis non solùm firmatus validissimè dicitur vltimus Status, qui semper prævalere debet pro futuris vacationibus ad communiter notata per Scribentes *in cap. Querelam de Elect., & in cap. Consultationibus de Iurepatr.*, sed constituta quodammodò non vna, sed duplex Res Iudicata, efficit, vt Status per eam efformatus nequeat hodiè adigi in controuersiam, *Rot. in Mediolanen. Beneficii 7. Iunij* 1715. §. *Absque eo quod coram Reuerendissimo Crispo, & in Astoricen. Parochialis 8. Iunij* 1716. §. *Eoque certiùs coram bo. me. Foscaro.*

5. Maioremque vim sibi adsciscunt dicta decreta, quia Sacra Congregatio per viam veluti legis generalis sanciuit, quod ità in posterùm seruandum foret, quotiès con-

tigiſſet Eccleſiæ vacatio; Quapropter efficaciùs obligant, in linea legis inpoſterùm ſeruandæ, & promulgatæ, conſulto priùs Summo Pontifice, ac de eius actoritate ad *Text. in Cap. Ex tua verb. Conſultationem de fil. Presbyter. Felin. in cap. 1. num. 17. verſ. Et per iſtam declarationem de Conſtitut.* & pleniſſimè *Fagnan. in Cap. Quoniam num. 7. cum ſeqq. vsque ad n. 69. tit. eod.* Nec tolerabile eſſet citrà læſionem maieſtatis Excelſi huius Senatûs, quod eius ſuprema decreta debitæ executioni non committerentur ad *Text. in Cap. Quoad conſultationem de re Iudic.* cum aliis per *Rot. cor. Emer. Iun. deciſ. 61. num: 2. in fin.*

6. Non eſt autem niſi infirmiſſima contraria reſponſio, qua curatur euitari talium decretorum efficacia, quòd ſcilicet ea emanauerint abſque vllo legitimo contradictore, quaſi in promulgatione legis pro iis, quæ omiſſa fuerint, & facienda ſint in futurum, exigatur formalitas iudicii, & Partis citatio contra literam *Text. in Cap. Quarto §. Ne autem facti perverſitas de tranſact. Epiſcop. & in Cap. Quoniam §. Nolumus autem, vt Cauſa in iudicium deducatur tit. de fil. Presbyt. Innoc. in d. Cap. Quanto, Paul. de Caſtr. conſ 338. n. 1. verſ. Præterea, Oldrad. conſ. 293. num. 1.* Quod ſanè nec à longè congruit Dignitati huius Sacræ congregationis, quæ non agit partes Iudicis, ſed vices gerit ſolummodò Conſultoris Papæ, vt aduertit *Card. de Lue. de præemin. diſcurſ. 50. num. 10, & in relat. Cur. diſcurſ. 5.*, ita ut eius decreta robur accipiant ab auctoritate Summi Pontificis illa approbantis, vt factum noſcitur in noſtris ſupra relatis, adeò quidem vt aſſumant prærogatiuam Conſtitutionis Pontificiæ, vt notabiliter definiuit *Text. in d. Cop. Ex multa verbis illis - in conſultatione noſtra ius editur - de Vot. Abb. in cap. Venerabilis de Iudic. Cardinal. in Clement. vlt in ſecunda oppoſit. de Præben.*, & de ſimilibus decretis Sacræ Congregationis Concilii idem teſtatur *Fagnan. in dicto Cap. Quoniam num. 11., & 14. de Conſtitut.*

7. Hinc

7. Hinc illicò patet reſponſio, qua occurratur omnibus illis prouiſionibus factis de noſtro Epiſcopatu ad ſolam ſupplicationem Regis; Cùm enim, vt ſuprà prænotauimus, noſtrum Reuerendiſſimum Capitulum poſt factam electionem vnius ex quatuor candidatis à Sereniſſimo Rege propoſitis non ampliùs in hoc negocio ſe ingerat, ſed eam tranſmittat Sereniſſimo Regi, vt ita electum ſeù poſtulatum Sanctæ Sedi commendet pro legitima confirmatione, quiſque videt, quòd in Curia expeditio huius confirmationis perficitur ab eius Miniſtris, vndè non mirum, ſi in pluribus prouiſionibus expreſſa dumtaxat ſupplicatione Regis, fuerit omiſſa præcedens electio, ſeù poſtulatio Capituli, nec iſta diligentia Miniſtrorum, aut incuria Capituli potuerunt aliquod præiudicium illius iuribus inferre ad receptam doctrinam *Abbat. in cap. Cum contingat num. 11. de for. compet.*, *Lotter. de re benefic. lib. 2. quæſt. 14. num. 38.*, *Rot. poſt Vivian. de Iurepart. deciſ. 30. num. 8.*, *& coram Royas deciſ. 218. num. 26.*, *& coram Emer. iun. deciſ. 1167. num. 10.* Cùm ad iſtum effectum nil minus fuiſſet neceſſarium, quàm quod Capitulum priùs inſtitiſſet pro expreſſione ſuæ electionis vel poſtulationis, quòdque illius Inſtantia fuiſſet reiecta cum appoſitione ſolius ſupplicationis Regiæ, nec ſufficiat ſolus actus negatiuus, vt explicant frequenter *Rip. in cap. Cum Eccleſia num. 64. de cauſ. poſſeſs.*, *& propriet.*, *Abb. conſ. 101. ſub num. 7. lib. 1.*, *Calderiu. conſ. 41. alleg. 3. de conſuetud.*, *Fagnan. in cap. Peruenit num. 42. de Adulter.*, *Rot. cor. Dunoz. ſen. deciſ. 300. num. 21.*, *& coram Emer. iun. deciſ. 1296. n. 21.* Quinimò ſecluſâ qualibet præambulâ inſtantiâ hoc ius electivum Capituli licèt in literis Apoſtolicis prætermiſſum, ſemper intelligitur ex tacita, & benigna voluntate Pontificis præſeruatum ad notabilem *Text. in cap. Porrecta verſ. Si verò in eis non fit mentio, ibique Butr. circà fin. de confirmat. vtil. vel inutil.*, *Felin. in cap. In noſtra n. 45. de reſcript.*, *Lap. alleg. 9.*

leg. 9. sub n. 4., Lotter. lib. 1. quæst. 34. n. 61., & pluribus seqq. & lib. 3. quæst. 7. sub n. 26.

8. Sed inutilis labor videri potest hoc præiudicium à nostro Reverendissimo Capitulo amoliri per coniecturas, & argumenta, quandò hoc palàm definitum habemus ex solemnissimis factis Summorum Pontificum; Quoniàm probè timens idem Capitulum ob hanc subticitam expressionem propriæ Electionis in literis Apostolicis aliquid eius iuribus subortum fuisse præiudicium reclamauit ad S. mem. Clementem VIII., vt declarare dignaretur, non fuisse ex animi Sententia Summorum Pontificum quidquam eius iuri electiuo præiudicandi ex prætermissa mentione Electionis Capituli in eisdem literis Apostolicis, & Summus ille Pontifex benignè annuit adeò iustissimæ instantiæ, vt ex eius Breui relato *in nostro Summario num.* 10. *litera A.* ibi-- *Cùmque sicùt nobis nupèr nomine dicti filij Capituli, & Canonicorum dictæ Ecclesiæ Varmien. expositum fuit, quòd dictus Petrus Episcopus ab eis in suum, & eorum huiusmodi Ecclesiæ Episcopum in vim Privilegiorum, & Indultorum postulatus fuerit, & ex quo in prædictis literis nulla de huiusmodi postulatione mentio facta reperitur, idem Capitulum, & Canonici dubitent, ne aliquod eorum iuribus præiudicium illatum censeatur, idcirco &c. Nos igitur, quibus semper Cordi fuit &c. tenore præsentium decernimus, & declaramus nostræ intentionis non fuisse, nec esse iuri, priuilegio, & Indultis eisdem Capitulo, & Canonicis de ipsorum, dictæque Ecclesiæ Varmien. de Episcopo deinceps eligendo, seù postulando competentibus præiudicium in aliquo inferri, sed iura huiusmodi &c. sibi salua, & illæsa, sartaque, & tecta, ac in pristino statu, robore & efficacia subsistere, & remanere in omnibus, & per omnia perindè, ac si in supradictis de postulatione per ipsos Capitulum, & Canonicos de Persona prædicti eorum Episcopi, vt supra facta expressa mentio habita fuisset &c. Quinimò ipsos Capitulum, & Canonicos occasione, vèl prætextu supradictarum*

litera-

literarum de, & super iuribus, priuilegiis &c. nullo vnquàm tempore moleſtari, inquietari, vel impediri poſſe, nec non irritum, & inane quidquid ſecùs ſuper his à quoque contigerit attentari--; Aliudque ſimile Breue pariter ſuper ſanatione ab hac omiſſa mentione in Bullis Apoſtolicis de Electione, ſeu poſtulatione Capituli edidit San. mem. Leo XI., quod productum reperitur in hac Sacra Congregatione anno 1698., Idemque declarauit hæc eadem Sacra Congregatio de anno 1698., approbante San. mem. Innocentio XII., & rursùs anno 1711., annuente San. mem. Clemente XI. iuxta decreta ſuprà relata.

9. Quibus profectò declarationibus res caret omni hæſitatione, vt Reuerendiſſimum Capitulum remanſerit incolume à quocumque præiudicio, quod ei quiuiſſet irrogari ob iſtam neglectam mentionem ſuæ Electionis, ſeu poſtulationis, quia ſi ea eſt vis tam ſeriarum declarationum, vt perinde habeatur, acſi in omnibus prouiſionibus explicita mentio facta fuiſſet de dicta præcedente electione, ſeu poſtulatione Capituli, vt argumento eſt *Tex. in Clemen. Exiui verſic. Horum autem de verb. ſignific., & in Clement. final. verſic. Ipſam declarare de Iurepatron.*, teſtantur *Vitalin. in Clement. vnic. §. Nos itaque num. 22. de Iureiur.*, *Ancharan. conſil. 65. num. 3.*, *Geminian conſil. 72. num. primo*, *Philipp. Prob. ad Ioann. Monach. in cap. primo de Priuileg. in 6.*, earum effectus protenditur ad omnes caſus, ſeu prouiſiones tàm præſentes, & futuras, quàm ad præteritas ad *Text. in cap. Cùm tu de vſur.*, quem ſequitur *Felin. in cap. quoniam n. 4. & Fagn. n. 53. & ſeq. de Conſtit.*

10. Nec ideo mirum remanet, quod ita quoque fuerit diutiſſimè obſeruatum non ſolùm ſæculis præteritis, in quibus omnes Electiones Capituli confirmari promeruerunt à Sede Apoſtolica expreſſa facta mentione in Literis de huiuſmodi Electionibus, ſeu poſtulationibus, de quibus latè in

noſtro *Summario num. 8. & ſequent.*, ſpecialiſſimè verò noſtris quoque temporibus, dùm vix ſuperuenta declaratione Anni 1698. huius Sacræ Congregationis, cùm Sedes Epiſcopalis Varmienſis fuerit vacans, poſtulante noſtro Reuerendiſſimo Capitulo in ſuum Paſtorem Andream Epiſcopum Plocenſem, fuit in ſucceſſiuo Decreto, ſeu Schedula Conſiſtorii habiti die 18. Maii 1699. facta ſpecifica expreſſio huius poſtulationis Capitularis præter ſupplicationem Sereniſſimi Regis, vt ex Decreto allato in *Summario Partis aduerſæ Num. 3. circà fin.*, ibi.- *Referente eadem Sanctitate Sua ad ſupplicationem Regis Poloniæ, vigore Poſtulationis factæ à Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Varmien. &c. juxtà Decretum Congregationis rerum Conſiſtorialium &c.*: Prout quoque euenit in poſteriori vacatione, iuxta aliud Decretum Conſiſtorii die prima Iunii 1712. in dicto contrario *Summario Num. 3*, ibi- *Referente Reuerendiſſimo D. Cardinali Annibale Albano admiſit poſtulationem factam à R.R. Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Varmien.*- Ex qua ſanè obſeruantia tàm remota, quàm proxima, & ſpecialiſſima, vtpote roborata Decretis Sacræ Congregationis, eliſi prorsùs fuerunt quicumque actus negatiui, qui vnquam afferri quirent in oppoſitum pro abſoluta præſeruatione noſtri Iuris electiui, iuxta benè firmata per *Fagnan. in cap. Tuæ num. 14., & 15. de Cleric. non reſid., Decian. conſ. 124. n. 12. lib. 2., Menoch. conſ. 49. n. 21., Lotter. lib. 1. quæſt. 39. n. 160., & ſeqq. Rot. cor. Emer. tun. deciſ. 34. n. 28. & ſeq.*

11. Quæ cùm ita ſint, non ampliùs progrediendum eſſet in cauſa vndique plana. Verùm quia Pars Adverſa nec deterrita, quòd hoc ius eligendi proprium Epiſcopum fuerit reſeruatum noſtro Reuerendiſſimo Capitulo in ipſo actu Erectionis Sedis Epiſcopalis ſua auctoritate Pontificia, ac ſucceſſiuè ſtabilitum in tranſactione inita inter Epiſcopum, & Regem Poloniæ, quæ promeruit à Leone X. confirmari,

ri, necnon agnitum pluribus confeſſionibus Sereniſſimorum Regum *Summario à num. 11. ad 13.*, & demùm comprobatum vniformi, continuatâque obſeruantiâ quinque ferè ſæculorum, tentat adhuc illud reuocare ad examen, eò quia fuerit ſublatum à Regula ſecunda Cancellariæ edita à Ioanne XXII., qua ademptis quibuſcumque electionibus omnibus Capitulis Epiſcopatuum prouiſiones Sedi Apoſtolicæ fuerunt reſeruatæ, cogimur, licèt in nimia temporis anguſtia huic quoque obiecto ſatisfacere, magis vt morem geramus elucubratiſſimæ diſſertationi egregii Defenſoris, quàm vt Cauſæ neceſſitati præſtemus vllum præſidium.

12. Sanè vt in ipſo veſtibulo præcideremus omnem contrarium conatum ſatis eſſe poſſet animaduertere, quòd reſeruationes Apoſtolicæ, ſeu Regulæ Cancellariæ nil aliud habent in obtentu, quàm fauorem Sanctæ Sedis, quæ voluit quidem Ordinariis, & Inferioribus Electoribus nudum exercitium, non autem inditam poteſtatem eligendi, ſeu conferendi per ea, quæ mouent *Mandoſ. de Inhibit, quæſt. 1. num. 1. & ſeq., Lottber. lib. 2. quæſt. 26. num. 13. & 20., Rot. in antiquis deciſ. 30. num. 2. de Præben.*; In modum vt reſpectu illarum totum pendeat à præſumpta voluntate Summi Pontificis pro dignoſcendo, quid, & quas Eccleſias ſibi voluerit reſeruare per ea, quæ notant *Gaſpar Peruſ. de reſeruat. cap. 25. num. 5. in fin., Æneas de Falcon. eod. tract. quæſt. 3. principal. num. 7.* Unde quod vigore Regulæ ſecundæ Cancellariæ incluſa non fuerit noſtra Inſignis Eccleſia Varmienſis, promoueri non poſſet niſi à Sancta Sede, de cujus iure ageretur, non ſic à quolibet alio, qui illius iuribus vti prohibetur ad regulam *Text. in leg. 1. Cod. de except. rei judic.* cum aliis per *Rot. coram Cerr. dec. 612. in fin., & poſt Cardin. de Luc. deciſ. 5. num. 27. lib. 13. tom. 4., & in Auguſtana Iuriſpatron. 17. Februar. 1698. §. final. coram bo. memor. dell' Olmo,*

& in Virdunen. Abbatiæ 3. Aprilis 1701. §. Non omissa coràm bonæ memor. Molines.

13. Quo præmisso tamquam pro absoluto credimus perstringentissimè inferre, quod percipi nequeat, quomodò ademptio istius iuris eligendi poni debeat in ancipiti, quando Sancta Sedes, seu Summi Pontifices non tantùm illud non impugnârunt, sed positiuis, iteratisque pluribus actibus agnouerunt, nedùm approbando, & confirmando suprà expositam concordiam, sed admittendo postulationem, siuè electionem nostri Capituli, quotiès euenit vacatio Cathedræ Episcopalis; Confirmatio enim Electionis, seu admissio postulationis separari nequit à iure electiuo ipsorum Eligentium, seu Postulantium, illudque perneceſsè præsupponit, quia Confirmatio nil noui addit, quàm potestatem administrandi, & exequendi, vt probatur ex toto *tit. de Elect., & de Postulat. Prælat., & in cap. 2. de transl. Episcop.* cum aliis per *Fagnan. in cap. Bonæ memoriæ num.* 47. *& seq., & num.* 77. *de postulat. Prælat.*

14. Et nihilominùs propiùs ad obiectum accedendo dicimus, quòd ista reseruatio Apostolica, seu Regula secunda Cancellariæ non includit nostrum Reuerendissimum Capitulum Varmiense, tanquam comprehensum sub concordatis Germaniæ, quæ absolutissimum est excludere à prædicta reseruatione omnes Ecclesias, seu Capitula Germanicæ Nationis, idque vigore celeberrimorum Concordatorum, quæ pro stabilienda vnione inter Sedem Apostolicam, & Fridericum III. Imperatorem, aliosque Principes tam Ecclesiasticos, quàm Sæculares huius Inclytæ Nationis celebrata fuerunt anno 1447. ad Apostolicæ Ecclesiæ clauum sedente Nicolao V., quandò adhuc perdurabant reliquiæ Concilii, seu potiùs Conciliabuli Basileæ, de quibus frequenter *Fagnan. in cap. 1. num. 11. de elect., Gregor. Tholosan. de Benefic. cap. 1. num. 8., & cap. 20. num. 20., Gonzal. ad Regul.*

gul. Cancell. gloſs. 25. num. 1. & ſeq., Thomaſſin. eod. tract. par. 2. lib. 2. cap. 38. num. 11. & ſeq., Nicolart. ad eadem concordat. §. 1. & ſeq., & ibidem etiam Matth. num. 1. & ſeq., Rot. in dicta Virdunen. Abbatiæ 3. Aprilis 1702. §. Magis in aperto verſ. Sed poſt Concilium Baſileenſe coram bo. me. Molines.

15. Quod autem Eccleſia Varmien. comprehendatur ſub Concordatis Germaniæ, comprobatur euidentiſſimis ferè documentis; Habemus enim ex omnibus Hiſtoriographis, & Geographis, Prouinciam Varmienſem eſſe partem Pruſſiæ vndique circumſeptam Pruſſia Ducali, ſeu Brandeburgenſi, vt præcipuè teſtatur Martinus Cromerus, qui fuit Senator Regni Poloniæ, optimèque verſatus in hiſtoria eiuſdem Regni in ſuo tractatu *de ſit. Popul., & Magiſtrat. Reipub. Polon. lib. 1. pag. 79.* ibi= *Varmia, & ipſa pars eſt Pruſſiæ ferè cincta vndique Pruſſia Ducali=* & rurſùs= *Olim Pruſſia &c. alios fines habuit, fuit autem decem Regionibus, ſiue tractibus deſcripta, videlicet Pomeranienſi &c. Erminio, ſiuè Varmienſi, qui retinet etiam nunc in lingua Germanica vetus nomen &c.=* vt ex noſtro *Summario num. 27. litt. G.*, ſubiecta inde fuit Pruſſia tota dominio Ordinis Theutonici, cuius Sacri Ordinis Supremus Magiſter inter Principes Germaniæ ſemper recenſitus fuit, & eſt. *Summar. num. 27. litt. C., & litt. AA.*

16. Quòdque apud veteres Geographos Pruſſia habita ſemper fuerit pro parte Germaniæ, diſſertè probant Eraſmus Stella de Boruſſiæ, ſeu Pruſſiæ antiquitate ad Fridericum Saxoniæ Ducem ibi-- *Facilè demùm Princeps Illuſtriſſime deprehendes, quàm iuſto Dei iudicio Boruſſia ad Germanorum redierit incolatum, cùm Germaniæ pars ſit, & Germaniæ à rerum exordio debita, inhabitataque luculentiſſimorum Scriptorum teſtimonio--* Philippus Cluuerius Geographorum Princeps in Germania antiqua *lib. 1. cap. 11. pag. 77.* vbi Pruſſiam in Germania veteri pluribus probat, *& Hartknochius diſſert. 3. num. 15, & diſſert., 14. per tot. relat. in dicto noſtro Summario num.*

27. litera EE. & FF. Ex quorum Auctorum tàm insignis notæ conspectu nulla est habenda ratio de *Lexico. Geograph.*, *& de Morerio. in suo Diction.*, quos respectu plurium rerum, & memoriarum fuisse hallucinatos conuincit *Bayl. in suo Diction. critic.*, & apertè demonstratur in *nostro Summario dicto num. 27. litt. GG.*

17. Quòd si huiusmodi Historicis, & Geographis plena est præstanda fides pro stabilienda situatione Locorum per ea, quæ monent *Gripbiand. in tract. de Insul. cap. 15. num. 9. in fin.* cum aliis per *Rot. coram Priol. decis. 28. num. 37.*; & magis in specie de comprehensione sub Germania eadem *Rot. coram Emer. Iun. decis. 1126. num.*, hinc statim ac Prouincia Varmiensis inter Germaniæ partes, accersita fuit fatendum quoque est eam fuisse subinclusam in Germaniæ concordatis, vt loquendo de Agro Leodiensi, seu de Diœcesi Cameracen. arguunt *Nicolart. tit. 3. dub. 1. §. 5. Vvames cons. 33. num. 13. Leonin. cons. 50. ferè per tot. Zypeus consult. 3. num. 6. 19. & 25., & consult. 6. num. 8. Rot. in dicta Virdunen. Abbatiæ 3. Aprilis 1702. §. Hinc transeundo coram bon. me. Molines.*

18. Atque ab hac materiali situatione Varmiæ in Germania oritur, quòd Populus mores quoque, leges, linguam, aliaque omnia communia habet cum reliquis Gentibus Germanicis, vnde Varmienses iudicantur tanquam de sanguine Germanico, vt eruitur ex relationibus Episcoporum Varmiensium in *nostro Summario num. 17. litera D.* ibi-- *Conciones habentur lingua Germanica, quæ Incolis Oppidi, imò totius Episcopatus materna est, & num. 18.* ibi-- *Populus Varmien. Coloniis ex Germania olim deductis originem ducens majori ex parte Auctorum suorum legibus, Institutis, moribus, & lingua vtitur--, & num. 19. litera M.* ibi-- *Populus Diœcesanus per Episcopos Germanos, omnis ferè ex Coloniis Germanorum antiquitùs transplantatus post inuectam Fidem Catholicam ex diuersis Germaniæ Prouinciis constat, retinetque suæ originis mo-*

res,

res, linguam, & Instituta-- & concordant dictus *Martin. Cromer. Poloniæ Senator in dicto Tract. lib. 1. pag. 77.* ibi -- *deletis penè priscis Prussis à Germani sanguinis hominibus habitatur, & regitur--* & *pag. 118.* ibi-- *A Decurionibus, seu Consulibus; & quidem Germanicæ linguæ, & sanguinis (Polonos enim pro externis habent) reguntur--* quam pariter vniformitatem in lingua, sanguine, & moribus non parùm conferre ad concludendam comprehensionem huius Prouinciæ sub natione Germanica dixit *Rot. d. dec. 1126. sub num. 7. coram Emer. Iun.*

19. Conducunt ad hoc idem intentum, quòd Alumni ex Varmia Romam proficiscentes recipiuntur, in Collegio Germanico Sancti Apollinaris *Summario num. 27. litera HH.*, in quo cùm non recipiantur nisi Adolescentes Nationis Germanicæ dumtaxat & Hungaricæ dubitari nequit ex hac receptione Alumnorum probari Varmiam esse de vera Natione Germanica, vt in puncto aduertit *Rot. coram Priol. decis. 28. num. 12., & seq., & num. 32. & 33.*; Et rursùs quod Carolus Imperator IV. suo particulari diplomate confirmauit huic Prouinciæ Varmiensi omnia eius Priuilegia sub ea ratione tanquam de dominio olim Germanico, nempe Ordinis Teuthonici, *vt in Summario num. 3.* Unde ex hac Imperatoris assertione semper magis efficitur clara comprehensio Varmiæ sub Natione Germanica, vt in specie monent *Alberic. in leg. Ex quacumque num. 7. ff. si quis in ius vocat. non ier. Albert. Brun. cons. 44. num. 2. Menoch. cons. 147. num. 12., & seq.*, & meliùs *Rot. coram Priol. sub num. 18.*, & *seq.*

20. His alia adduntur eminentia testimonia, inter quæ principem locum tenet celeberrimus Æneas Siluius Piccolomineus, qui priùs præfuit Episcopatui Varmien. posteaque ad Summi Apostolatus apicem ascendit: Hic enim in quadam sua epistola Apologetica ad Martinum Maier Cancellarium

larium Moguntinum ſuper vſu concordatorum Germaniæ relata *poſt Commentaria rerum memorabilium ſui temporis fol.* 676. inter alias Eccleſias Cathedrales, in quibus Sedes Apoſtolica vigore Concordatorum defert electionibus, ſeù poſtulationibus Capitulorum, adnumerat Eccleſiam Varmienſem, teſtando ſui ipſius eo modo à Capitulo Varmienſe ad dictam Eccleſiam vacantem factam fuiſſe poſtulationem, *vt in noſtro Summario num.* 27. *litera E.* Quanta autem fides præſtanda ſit tàm ſublimi Teſti facilè colligi poteſt animadvertendo, quòd prætermiſſis egregiis animi dotibus, quæ ad Supremam Dignitatem eum euexerunt, ille interfuit antedictis Concordatis, quando inita fuerunt cum Sede Apoſtolica, propriisque conſiliis non parùm adiuuit, vt decreta Concilii Baſileenſis partim haberentur rata, partim verò refutarentur, vt refert *Thomaſſin. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 44. *num.* 4. Et meritò huic ob hanc circumſtantiam eſſe ſi in totum deferendum in hac Concordatorum materia dixit *Rot. coram Coccin. deciſ.* 1552. *num.* 49., *& ſeq.*, & *in dicta Virdunen. Abbatiæ eodem §. Magis in aperto coram Molines.*

21. Concordant cum eo Epiſcopi Varmienſes, & Nuncii Apoſtolici in relationibus tranſmiſſis ad S. Sedem, vnanimiter teſtantes de comprehenſione Eccleſiæ Varmien. ſub Concordatis Germaniæ, *vt ex Summario num.* 15. *litera C.* ibi-- *eligendi verò facultas alternis menſibus vigore Concordatorum Germanicæ Nationis, quibus Eccleſia hæc gaudet apud Collegium, & Epiſcopum coniunctim manet*-- & *ex num.* 17. *litera F.*: & *num.* 19. *litera G.* ibi-- *Deinde anno* 1447. *ſuperuenientibus dictis Concordatis Germanicæ Nationis Franciſcus pro tunc Epiſcopus tanquam Germanicæ, ſeu Alemanicæ Nationis dicta concordata acceptauit, & ab eo tempore vſque ad præſens Epiſcopus, & Capitulum prædicti liberè diſpoſuerunt* &c., *& num.* 20. *litera A.* ibi-- *immediatè Sanctæ Sedi Apoſtolicæ ſubiecta eſt, & ſub Concordatis Germaniæ cum Nicolao V. Pontifice initis com-*

comprehenſa-- & Summario num. 21. litt. B., vbi Nuncius Apoſtolicus de hoc ipſo perhibet Teſtimonium cum ſubſecuta approbatione Sanctæ Sedis, de qua conſtat ex epiſtolis Secretariæ Status relatis *dicto num. 2. litera C.* Quas ſanè relationes pleniſſimæ probare tradunt *Felin. in cap. Illud num. 6. de præſcript. Gratian. cap.* 697. *num.* 13. *Rot. in rec. deciſ. a* 37. *num.* 10. *part.* 11., *& poſt Card. de Luc. deciſ.* 30. *num.* 1. *lib.* 13. *tom.* 4.

22. Urgentiſſima ſunt hæc, & adhuc vrgentiora ſuperſunt, quæ non minùs hanc comprehenſionem iſtius Eccleſiæ ſub concordatis, quàm ius eligendi noſtri Capituli ponunt extrà quamcumque difficultatis aleam; Innocentius enim VIII. conceſſa iam Caſimiro Regi Poloniæ facultate nominandi ad ſex Eccleſias Epiſcopales dicti Regni, nempe Gneſnen., Cracouien., Poſnanien., Plocen., Vladislauien., & Varmien. cùm poſtmodùm maturo Conſilio re diſcuſſa agnouerit noſtram Eccleſiam Varmien. eſſe incluſam ſub concordatis Germaniæ, hac ipſa expoſita ratione conceſſam gratiam retractauit, fatendo iſtud de tempore Gratiæ ei ignotum fuiſſe, vt ex eius Breui in noſtro *Summ. num. 4. litt. D.* ibi-- *Quia tamen noſtræ tunc intentionis non extitit, quòd facultas huiuſmodi ſe extenderet ad aliquam Eccleſiam ſub concordatis Germaniæ comprehenſam, & ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, dicta Eccleſia Varmien. ſit, & eſſe cenſeatur ſub concordatis prædictis, ac ab exordio, quo Chriſtiana Fides in Partibus illis, Domino opitulante, recepta per Sedem Apoſtolicam fundata, eique ex tunc immediatè ſubiecta fuerit, proùt ſubjicitur de præſenti, quæ omnia tempore præfatæ conceſſionis fuerunt nobis ignota; Nos &c.*

23. Quid plus? Aduenta poſtmodùm vacatione Eccleſiæ cùm ea fuerit de Epiſcopo prouiſa ad electionem Capituli ſucceſſiuè confirmatam ab eodem Innocentio VIII., non omiſit conqueri Rex de iſta confirmatione electionis; At ea non

obſtante Sapientiſſimus ille Pontifex mediante alio Breui eum commonefecit, quòd Cauſa in duobus Conſiſtoriis propoſita, & diligentiſſimè perpenſis iuribus eiusdem Regis exhibitis ab illius Oratore, compertum fuerat diuerſimodè fieri non potuiſſe ab eo, quod factum fuerat- *Cùm nulli dubium eſſet, quin beneficio concordatorum illa Eccleſia gaudere deberet eum propterea hortando, vt hic iuſtiſſimæ; & neceſſariæ deliberationi æquo animo acquieſceret*, vt ex verbis alterius Breuis *Summ. dicto num. 4. litt. E.* Et id idem præfato Regi confirmauit Marcus Epiſcopus Prænestinus in alia particulari epiſtola, qua illum certiorat, quòd ad eius inſtantiam cauſa ad duos menſes fuerat protracta, in quibus negotium fuerat pleniſſimè examinatum pluribus auditis Aduocatis, & ſæpeſæpius ſuæ Maieſtatis Oratore, ipſoque referente, ac ita impellente iuſtitia, nulloque alio reſpectu Jeſu Domino noſtro teſte ſummo confirmata fuerat electio iure concordatorum Nationis Germanicæ, vt latiùs legere ſupplicamus *in Summ. dicto num. 4. litt. F.* Et ad limites iam captæ reſolutionis, ſubinde expeditæ fuerunt Literæ Apoſtolicæ cum expreſſa mentione, quòd Eccleſia prouidebatur ad electionem Capituli, *vt in Summario num. 22. incipien. Innocentius Epiſcopus.*

24. Dùm itaque idem Pontifex, qui ius nominandi laudato Regi indulſerat ad hanc Eccleſiam Varmienſem detecto poſtmodùm, quòd dicta Eccleſia includebatur ſub concordatis Germaniæ opus habuit conceſſam Gratiam retractare ob hanc unicam rationem incluſionis eiuſdem Eccleſiæ; neque ad hunc actum correctorium deuenit ex propria ſolùm opinione, ſed adhibita ſententia Eminentiſſimorum Cardinalium in vno, atque altero Conſiſtorio, auditiſque Regiis Oratoribus, tantaque maturitate negotio diſcuſſo, proùt grauitas materiæ exigebat, quis vnquam ampliùs inficias ibit, vel quòd dicta Eccleſia non ſit comprehenſa

ſub

ſub dictis concordatis, vel quòd non competat noſtro Reuerendiſſimo Capitulo hoc ius poſtulandi, vt perbellè vtendo hoc argumento ponderauit *Rot. cor. Millin. deciſ.* 426. *num.* 5.

25. Et ſi in re omnibus numeris manifeſta opus adhuc ſit vlteriora adhibere ſubſidia, iſta præſtò eſſent ex ea pacifica poſſeſſione eligendi proprium Epiſcopum, in qua ſemper permanſit idem Capitulum Varmienſe etiam poſt editas regulas Cancellariæ, ac euulgata dicta Concordata Germaniæ, taleſque electiones ſemper pari modo fuerunt confirmationem promeritæ à Sede Apoſtolica; Cùm verò nemo neſciat ad ſimiles confirmationes non procedi, niſi vbi certò certiùs priùs conſtiterit, quòd Ius electiuum eligentibus competat vel in vim Concordati, vel ſpecialis Priuilegii, vel conſuetudinis immemorabilis eius vicem aſſumentis, vt teſtatur *Mandoſ. de Signatur. Grat. tit. de Confirmat. §. Electiones*, & poſt eum *Rot. in dicta Virdunen. Abbatiæ* 3. *Aprilis* 1702. *§. Idque, coràm Molines*, hinc præter ſupra adductas probationes tanti ponderis concurrit vlteriùs obſeruantia continuata, & nunquam interrupta, quæ appellari ſolet omnium probationum regina, vt omiſſis generalibus monuit in noſtris terminis *Rot. cor. Emer. iun. deciſ.* 24. *num. 8. & ſeq.*, & *dec.* 1126. *num.* 6.

26. Citrà quod alicuius obſtaculi eſſe poſſint reſolutiones editæ à *Sacra Rota coràm Millino deciſ.* 438., & *deciſ.* 447., & *in recent. deciſ.* 14. *num.* 13. & 14. *part.* 16., quatenùs aiunt, Eccleſiam Varmienſem non comprehendi ſub Concordatis Germaniæ; Siquidem hoc accidit, eò quia ex parte Litigantis nullum probationum genus eo tunc exhibitum fuerat, quæ iſtam comprehenſionem conuincerent, propterea que cedere debent veritati, quæ hodie tot fortiſſimis, & ineluctabilibus fundamentis poſita eſt in aperto per Reverendiſſimum Capitulum, quod tunc non erat in Cauſa.

27. Quemadmodum nullum obicem præbere valet, quod Varmia expòst adiuncta fuerit Regno Poloniæ; Quandoquidèm istiusmodi vnio non fuit subiectiua, & extinctiva illius libertatis, seu Iurium, & Priuilegiorum, quibus priùs fruebatur, sed æquè principaliter ea omnia in suo esse, & robore præseruans, nec eidem Regno sese subdidit, nisi per viam protectionis, aut perpetui fæderis, & = *saluis Iuribus suis, immunitatibus, & libertatibus per Diplomata Regia conseruatis* = vt patet ex adductis *in nostro Summario num.* 19. *lit. D.* & *num.* 20. *lit. G.*, quod euidentiùs redditur etiam ex facto; Nam post dictam quoque deditionem Prouincia Varmiensis non desiit frui, & vti propriis Legibus & Statutis; Et quamuis illius Episcopus sit vnus ex Senatoribus Regni Poloniæ, atque ob id subsit ad instar aliorum Senatorum Legibus eiusdem Regni, attamen vnà cum suo Capitulo retinet integra iura Principatus in tota Prouincia Varmiensi, eamque propriis Legibus regit, & moderatur, sicuti Nobiles, & Terrigenæ eiusdem Ditionis Varmien. non gaudent Legibus Nobilitatis Regni Poloniæ; in Causis Iudicialibus, appellationes non interponunt ad Tribunalia dicti Regni, sed ad Nuncium Apostolicum, vel ad Urbem: Quæ omnia efficiunt indubiam perseuerantiam Ecclesiæ Varmiensis sub Concordatis Germaniæ, quia præcipuus effectus huiusce vnionis æquè principalis consistit in conseruando omnes prærogatiuas, & præeminentias, prout antea erant in antiquo statu rei vnitæ, vt docent *Gloss.* & *Doctores in cap. primo Ne sed. vacan.*, *Gratian. discept.* 9. *à num.* 16., *ad* 22. *Frances. de Eccles. Cathedral. cap.* 8. *num.* 146., *Rota coram Caualer. decis.* 418. *num.* 3., *& in Recent. decis.* 156. *num.* 6. *part.* 11.

28. Et est notissimum, ac pacificum Iuris nostri principium, quod ex mutatione dominiorum alicuius Ciuitatis, vel Prouinciæ inferri non liceat ad mutationem status Ecclesiarum

rum, earumque Iurium, & Priuilegiorum; iuxta ſolemne reſponſum Nicolai Primi Epiſcopi in Concilio apud Conuicinum congregatis, de quo *in Canon.* 1. *diſtinct.* 10. ibi -- *Imperiali iudicio non poſſunt Eccleſiaſtica Iura diſſolui, ad quod oſtendendum duorum horum, ſcilicet Innocentii, & Gregorii ſatis ſufficiunt teſtimonia: Sanctus quidem Innocentius in Decretali epiſtola ſua ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum ait: Nam quod ſciſcitaris, vtrum diuiſis Imperiali Iudicio Prouinciis, ut duæ Metropoles fiant, ſic duo Metropolitani Epiſcopi debeant nominari; non viſum eſt ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari, honoresque aut diuiſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator, Beatus autem Gregorius &c. non quòd Imperatorum leges dicamus penitùs renuendas, ſed quòd eas canonicis Decretis nullum poſſe inferre præiudicium aſſeramus* = vbi *Geminian., Card. Turrecremat., Franc. eodem tract. cap.* 6. *num.* 179. *& ſeq., Franc. Marc. deciſ.* 1122; *Rota coram Emer. iun. deciſ.* 24. *num.* 2. *& ſeq.*

29 Nec meretur ampliùs proponi Indultum à Sancta Sede conceſſum poſt annum 1500. Regibus Poloniæ nominandi Epiſcopos cuiuslibet Eccleſiæ dicti Regni: Eius enim inefficacia reſpectu Eccleſiæ Varmienſis poteſt eſſe in comperto ex ſupra adductis rationibus, quia nunquam illud protendi valet ad hanc Eccleſiam, vti exemptam ab omni iuriſdictione in vim concordatorum Germaniæ, vt præ cæteris coercendo ſimilem gratiam definiuit Innocentius VIII., & indubitatum eſt, Indultum quodcumque nominandi à Sancta Sede Regibus tributum porrigi non poſſe niſi ad illas Eccleſias, in quibus eadem concordata non vigent, vt ex profeſſo firmauit *Rot. in d. Virdunen. Abbatiæ §. Magis in aperto verſ. In aliis namque Regnis cor. Molines.*

30. Non prætermittendo ſuperaddere, quòd nè iſtud generale Indultum conceſſum Regibus anno prædicto trahi poſſit ad Eccleſiam Varmienſem militat vltrà reſiſtentiam dictorum

ctorum concordatorum Germaniæ, ſpecialior alia ratio, concordiæ initæ inter noſtrum Capitulum, & Sigiſmundum I. Regem Poloniæ ſuper hoc identifico iure eligendi; Si enim Indultum obtentum à Regibus Poloniæ nominandi Epiſcopos omnium Eccleſiarum proprii Regni ſuas vires porrexiſſet ad noſtram quoque Eccleſiam Varmienſem, non vtique præfatus Sigiſmundus voluiſſet hoc ius ſibi, aliiſque in Regno Succeſſoribus abrogare medio dictæ Tranſactionis, & Concordiæ præcipuè initæ ſuper modo eligendi Epiſcopum per ea, quæ generaliter aduertit *Rota in Firmana Iurisdictionis ſuper reſeruatis* 15. *Aprilis* 1701. §. *Habere aſſertionem coram Molines*, & in proximioribus terminis *in dicta Virdunen. Abbatiæ* §. *Ex quibus cum ſequen.*

31. Eoque fortiùs, quia iſtudmet ius eligendi reſidens apud noſtrum Capitulum eo modò, & forma, qua conuentum fuerat in memorata Concordia ratum deinde ſemper habuit non ipſe ſolus Sigiſmundus I. pluribus perſpicuis actibus legendis *in noſtro Sum. Num.* 12., ſed cum eo cæteri alii Succeſſores in hoc Regno, qui vltra promiſerunt iſtud ius defendere, ac tueri, vt ex *dicto Summario Num.* 11. *lit. B*, *C*, & *D.*, proùt quoque ità ſe geſſit Sereniſſimus Rex modò feliciter Regnans, dùm palàm proteſtatus fuit per tunc actum Coadiutoriæ nolle quidquam præiudicare iuribus Capituli ſuper futura electione, vt *in Summ. num.* 13. *lit. H.*, & de iſtomet religioſiſſimo animo huius Glorioſiſſimi Regis teſtatur Celſiſſimus Princeps Primas Poloniæ in quadam Epiſtola reſponſiua, in qua certius reddit Capitulum Varmien. de æqua, iuſtaque Regis voluntate, vt ex *noſtro Summ. Num.* 23.; Quamobrèm nonniſi fruſtrà allegatur iſtud Generale Indultum contra illud ius electiuum ab ipſis Regibus reſeruatum in tam ſolemni concordia, & toties agnitum ab omnibus Succeſſoribus contra ea, quæ inquit *Imperator in leg. Generaliter Cod. de non numer. pecun.*,

ibi=

ibi= *Iniquum enim esse putamus, quòd sua quisque voce dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare testimonioque proprio resistere*= cùm aliis per *Rot. in Mantiss. regal. Prioratus* 24. *Ianuarij* 1718. §. *Maximè quia coram bo: me: Ansaldo.*

32. Demùm neque merebatur deduci in hoc excelso Senatu, quòd ius nostri Reverendissimi Capituli reducatur veluti ad quandam formalitatem: Hoc namque forsan asseri posset, vbi Serenissimus Rex vnum tantum ex Canonicis proponeret, quem Capitulum postea eligere teneretur, non ita tamèn vbi idem Rex iuxta legem Concordiæ ex omnibus eligibilibus Canonicis quatuor exhibet, inter quos Capitulum suam implet postulationem, siuè electionem; In hoc quippè casu per huiusmodi nominationem Regiam quatuor eligibilium, remanet apud Capitulum ius complendi propriam electionem, quæ non diminuitur ab antecedenti restrictione ad quatuor tantùm, quia electus omne ius agnoscit ab eodem Capitulo eligente, & vnicè præsentari debet Sedi Apostolicæ pro confirmatione obtinenda, non verò à nominatione Regia, vt expressè decisit *Text. in cap. Quod sicut de elect.*, ibi= *Verùm cùm ex prima electione, quæ facta de tribus dicenda videtur potiùs nominatio, nihil iuris acquisitum fuerit nominatis, licitè procedi potuit ad electionem regulariter celebrandam &c., quia non simplex nominatio, sed Solemnis Electio debet Principi præsentari, vt postulationi præstet assensum*= Et in specie de electione restricta ad duos est *Text. in cap. Constitutis il secondo de appel.*, *vbi Imol. num.* 2., *Ioann. de Anan. num.* 3. *Præposit. num.* 11., *& Fagnan. num.* 2.; Ius enim eligendi æquè perficitur inter plures, ac verificetur inter duos, tres, vel quatuor ex Personis eligibilibus, vt post alios concordantes probat idem *Fagnan. in cap. Cùm Terra n.* 13. *de elect.*

A primo igitur ad vltimum expeditissima est instantia, quam porrigit nostrum Capitulum in præseruationem proprii Iuris,

ris, vnde ſperat ei annuendum fore iniungendo quoque, quod Sereniſſimi Reges in futuris vacationibus nominare velint ad formam toties memoratæ Concordiæ, videlicet, quòd poſt tranſmiſſum à Capitulo elenchum omnium Canonicorum eligibilium Sereniſſimus Rex nominet quatuor ex illis, dummodò tamen omnes ſint eligibiles, nullaque inhabilitate irretiti, ad hoc vt Capitulum vtendo facultate ſibi reſeruata compleat ſuam electionem, ſeu poſtulationem in perſonam vnius, pro quo ad Regiam Commendationem impetretur Confirmatio Apoſtolica; cùm nil magis exigit indoles, & natura concordiæ, quàm quòd vtraque pars adimpleat leges in ea ſtabilitas, vt per *Text. in cap.* 1. *de probat.*, latiſſimè firmat ibidem *Fagnan. num.* 7. 18. *cum ſeq.* Quare &c.

Pompeius de Jocoſis Aduoc.

SAC. CONGREGATIONE
CONSISTORIALI
R. P. D.
RIVERA
SECRETARIO
Varmien. Electionis, ſeu
Poſtulationis,
PRO REVEREND. CAPITULO VARMIEN.
JURIS.

Typis Zinghi, & Monaldi 1724.

SACRA CONGREGATIONE CONSISTORIALI

P. R. D.

RIVERIA

SECRETARIO

Varmien. Confirmationis Electionis.

Pro

Reverendiſſimo Capitulo Varmien.

SUMMARIUM

Complectens originem, & ſtatum Eccleſiæ Varmien.
Quæ Sedis Apoſtolicæ ſpeciali beneficentia fundata, ac dotata
In Terris Pruſſiæ à Sacro Ordine Theutonico olim conquiſitæ:
Demùm inter viciſſitudines ejuſdem Pruſſiæ
Ceſſit in fidem, & Protectionem Sereniſſ. Poloniæ Regum
Non decedens à primæva naturali ſua libertate
Præſervatiſque antiquis ſuis juribus eorumque perenni uſu,
Sicuti luculentiſſimè teſtantur
Pontificia, Imperialia, & Regum quoque Poloniæ Diplomata
Atque probatiſſimorum tam veterum, quàm recentiorum
Scriptorum monumenta, in unum hoc Collecta
Compendium.

SVMMARIVM.

Num. 1. *Terras Prussiæ Sacro Bello, atque adscitis inclyti Ordinis Theutonici cõmilitonibus acquisitas, Sedis Apostolicæ Legatus partitur, & earum portionem, quæ Pontifici obtigerat, assignat pleno jure pro fundatione Episcopatûs Varmien.*

A.

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c. Ven. Fratri Episcopo Prussiæ &c. iis, quæ per dilectos Filios Fratres Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, & alios Christi fideles facta sunt in Prussiæ partibus, Divina propitiante providentia, cum exultatione spiritûs intellectis, & considerata terræ latitudine ibi per Dei gratiam acquisitæ, Ven. Fratri nostro Vilhelmo Episcopo Mutinen. &c. plenæ Legationis officium duximus committendum, eidem &c. Terram Prussiæ dividendi per partes de Fratrum nostrorum Consilio &c. potestatem plenariam concedentes &c. quarum &c. duas partes (dilecti Filii Magister, & Fratres prædicti) cum omni proventu habeant &c., & Episcopus, vel Episcopi tertiam similiter integrè habeat *cum omni Jurisdictione, & jure &c.* Cæterùm temporalia, quæ tibi Episcopatûs jure competunt, nomine nostro, ac Romanæ Ecclesiæ de ipsius Legati manu accipias &c. Nulli ergo &c. Datum Anagniæ 3. Kal. Augusti, Pontificatûs nostri Anno primo.

B. *Divisionem Terrarum Prussiæ de manu Barbarorum ereptæ confirmat Innocent. IV. Papa.*

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c. Dilectis Filiis Magistro & Fratribus S. Mariæ Theutonicorum salutem &c. Limitum Diœcesium Prussiæ &c., ac divisionem Terrarum ipsius Prussiæ, quas de mandato nostro apud Sedem Apostolicam provida deliberatione præhabita, fecit Ven. Frater noster Episcopus Mutinen. Pœnitentiarius noster, in partibus illis Apostolicæ Sedis Legatus, prout in ipsis literis super hæc confectis plenius continetur, ratas habentes, & firmas eas auctoritate Apostolica

ſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communivimus. Tenorem autem literarum ipſarum præſentibus de verbo ad verbum fecimus annotari, qui talis eſt: Vilhelmus miſeratione Divina Epiſcopus Mutinen. Apoſtolicæ Sedis Legatus omnibus &c. Noverit Univerſitas veſtra, quòd Sanctiſſimus D. D. Innocentius Papa IV. inter alia, quæ ad Legationis officium pertinent commiſit nobis &c., ut limitare poſſemus Diœceſes & Epiſcopos inſtituere in eisdem &c., cujus auctoritate de Regionibus jam converſis limitavimus ſic Diœceſes in Pruſſia. Primam &c. *Omittitur prolixa Relatio diviſionum Terrarum, & limitationum præfatarum, poſt quas ſequitur concluſio Bullæ Papalis cum ſanctione pœnali de ſtylo conſueto, per verba:* Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ *Confirmationis* infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem &c. Datum Anagniæ VIII. Idus Octobris, Pontificatûs noſtri Anno primo.

Num. 2. *Erectio Eccleſiæ Cathedralis Varmien. per Legatum Apoſtolicum confirmata anno 1264.*

Univerſis &c. Angelus Epiſcopus Sabinen. &c. per Bohemiam, & per Rigen., Gneſnen. &c. Provincias Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem in Domino. Literas ſubnotatas, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua ſui parte vitiatas, vero ſigillo &c. vidimus, & perlegimus in hæc verba: In nomine Domini &c. Univerſis Chriſti fidelibus &c. Anſelmus Dei gratiâ Epiſcopus Varmien. Eccleſiæ, ſalutem &c. Quoniam admodum aquæ diffluentis præterit figura Mundi hujus, rerum geſtarum memoriam ſecum trahens in oblivionem &c. præſentium indicio conſtare volumus perenni notitiæ, quòd cùm D. N. PP. per Varmienſem

Eccleſiam nos curâſſet Epiſcopum præficere aſſignando nobis portionem debitam in ipſa Diœceſi *juxta diviſionem factam à Ven. Patre Vilhelmo Epiſcopo Mutinen., tunc partium earundem & totius Pruſſiæ Legato*, ac ſuper diviſione Terrarum, & limitatione Diœceſium Apoſtolicæ Sedis ſpeciale mandatum habente, *& ab ipſa Sede Apoſtolica poſtmodum*
A. *confirmatam*, licèt tunc Parochiales Eccleſiæ nullæ, vel pauciſſimæ eſſent, tamen *Divina mediante Clementia, & Promotione Sedis Apoſtolicæ, ad cujus dominium ſupradictæ Terræ &c.* ſpectare noſcuntur, adeò ſunt auctæ, quòd neceſſe habeant erigere ſibi Matricem Eccleſiam, à cujus gremio poſſint Eccleſiaſtica Sacramenta, cenſuram Eccleſiaſticam, & ſalubrem Doctrinam recipere, & alia, quæ ad ſalutem pertinent animarum. Innitentes igitur rationibus antedictis, in prænominata Diœceſi Varmienſi, ad laudem, & honorem Domini Noſtri JESU Chriſti Eccleſiam ad titulum S. Andreæ Apoſtoli in Civitate, quæ Brunsberga appellatur, erigimus Cathedralem, volentes in eadem Domini Noſtri cultum præ omnibus augmentari, quaſdam Terras, cum Decimis, Jurisdictione, & aliis utilitatibus, prout in literis ſuper hoc confectis pleniùs continetur, pro ſexdecim Præbendis in
B. ſupradicta Eccleſia habendis conferimus, quatenus ad eaſdem ſexdecim recipiantur Canonici, qui in Divinis Officiis, Domino in ipſa Eccleſia perpetuò famulentur. *Jus verò eligendi in dicta Eccleſia Præpoſitum, Decanum, Cantorem, Scholaſticum, Cuſtodem,*
C. *& Canonicos, Nobis, & Succeſſoribus noſtris, unà cum Capitulo retinemus.* Creandi autem, & inſtituendi Archidiaconum in ipſa Eccleſia Nobis, & noſtris

Succeſ-

Succeſſoribus facultatem ſpecialiter reſervando: *Sanè Epiſcopum eligendi, ſeu poſtulandi, Canonici dictæ Eccleſiæ liberam facultatem habeant &c.* Igitur ne adverſus rationabiles Conſtitutiones, & Ordinationes noſtras, deinceps oblivio calumniam ingerat in Teſtimonium, & perennem ipſarum confirmationem, præſentem paginam fecimus ſigilli noſtri munimine roborari. Acta ſunt hæc anno gratiæ 1260. Teſtes ſunt Fratres noſtri Richenius, & Petrus, & Theodoricus &c., & alii quàm plures. Datum in Heilsberg menſe Junio &c. Nos verò præſentes literas, & ordinationem canonicè, ac ritè factam, ad inſtantiam dictorum Canonicorum, authoritate, noſtræ Legationis de certa ſcientia confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Prætereà hoc ſcriptum in perenne Teſtimonium, & munimentum ſigillo noſtro, & ſigillis Venerabilium Patrum Alberti de inſula, & Friderici Culmen. Epiſcoporum fecimus roborari. Actum in Elbingo anno Domini 1264. ſexto Kal. Februarii. (Loca trium ſigillorum).

Num. 3. *Privilegia à Summis Pontificibus, & Imperatoribus conceſſa Eccleſiæ Varmien. Carolus IV. Imperiali ſuo Diplomate ſub Bulla aureâ confirmat.*

CAROLVS IV. Diuina fauente Clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Pro parte Ven: Joannis *Varmienſis Epiſcopi Principis*, & deuoti noſtri dilecti, nuper Majeſtati noſtræ oblata ſupplicatio continebat, quatenùs nonnullas gratias, quas à Sede Apoſtolica obtinuiſſe dignoſcitur gratas de ſolitæ benignitatis Clementia habere dignaremur, quarum tenor ſequitur in hæc verba: *Hic habentur inſertæ Bullæ Pontificiæ hocce Summ. num. 1. & 2.*

Ex Archetypo asservato in Archivo Capituli, & per extensum refert Christophorus Hartknoch in notis ad Privilegia Prussiæ edit. Lipsiæ 1679.

1. & 2. prærecensitæ, aliaque Privilegia ejusdem Varmien. Ecclesiæ: Nos itaque habita consideratione Statûs Imperialis, in quem nos Deus Omnipotens, quamvis insufficientibus meritis sua benignitate præfecit, & ex cujus ordinato Regimine commodis Ecclesiarum præesse tenemur, consideratis etiam propriæ salutis compendiis, animo deliberato, non per errorem, aut improvidè, sed maturô Principum, & Procerum nostrorum accedente Consilio dictas Literas, Gratias, & declarationes in eis contentas, gratas, & ratas accipimus. Præcipientes universis nostris, & Imperii Sacri fidelibus, quatenùs easdem in suo vigore & robore manuteneant, & conseruent &c. = *Sequitur sanctio pœnalis*, Testes ejus rei Ven. Præclarus Episcopus Vratislavien. Imp. Aulæ nostræ Cancellarius, Illustris Bolio Sidunicen., Ludovicus Lignicen. Conradus Olecisnen., Przimko Tæcinen. Duces. Spectabilis Burchardus Burggrabius Maideburgen. Imperialis Curiæ nostræ Magister, Albertus de Anhalt, & Joannes de Rez Comites, & Nobilis Zbinko de Hazenberg Supremus Magister Cameræ nostræ, atque aliorum, Principum, Comitum, Baronum, & Nobilium multitudo, Literarum præsentium sub Bulla aurea Typario nostræ Imperialis Majestat. impressa, testimonio. Datum in Burglins anno Domini MCCCLVII. Indictione decima VIII. Kal. Septembris, Regnorum nostrorum, anno Romanorum XII. Boemiæ XI. Imperii verò XIII.

Ego Joannes Dei gratia Lutomislen. Episcopus Sacræ Imperialis Aulæ Cancellarius, Vice Reu. in Christo P. D. Gerlaci Moguntinen. Archiepiscopi Sacri Imperii per Germaniam Archi-Cancellarii recognovi.

Extat

Extat penes Capitulum Varmien. aliud Authographum Literarum ab eodem Carolo IV. Imperatore datarum ad Joannem II. Epiſcopum Varmien., cujus Jura temporalia, tanquam Principis Imperii, approbat: & tuetur idem Imperator ex occaſione gravium controverſiarum, quæ interceſſerant inter ipſum Epiſcopum, & Magiſtrum Ordinis Theutonici circa libertatem Ditionis, & Principatus Varmien.

Num. 4. *Confirmationes Apoſtolicæ electionum factarum à Capitulo Varmien. poſt publicatas reg. Sacræ Cancellariæ Apoſtol. abrogatorias electionum Capitulariũ.*

Romæ &c. die Merc. prima Decembris anno 1417. Prouiſum eſt Eccleſiæ Varmien. vacanti per mortem Henrici &c. de perſona Ioan. Abezier à Capitulo, & Canonicis electi &c. *Ita repertum ex antiquo Reg. rerum Conſiſtorialium ſan. mem. Martini V. Papæ ſignat. num.* 1. *in Archiuo Sac. Congregat. Conſiſtorialis fol.* 58.

A *Confirmatio Apoſtolica electi Epiſcopi anno 1469. pridie nonas Novembris.*

PAVLVS PAPA II. Dil. Fil. Nicolao electo Varmien. &c. Dudum &c. Dilect. Fil. *Capitulum Eccleſiæ ipſius ad electionem futuri eorum Epiſcopi procedentes &c. Te &c. concorditer elegerunt &c.* Nos igitur, qui &c. *electionem ipſam Canonicam reperimus &c.* electionem ipſam de Fratrum noſtrorum Conſilio authoritate prædicta confirmamus, & approbamus.

Altera ſimilis Innocentii VIII. confirmatio Lucæ electi Epiſcopi de anno 1489. 15. Kal. Iunii brevitatis gratia omittitur, prout aliæ, *quæ habentur productæ in Secret. Conſiſtoriali cum Poſit. Varmien. anno* 1698. *&* 1711.

B *Eccleſiam Varmien. ſub concordatis Germaniæ cõprehenſam declararunt & præſeruarunt Paulus II. & Innocent. VIII.*

PAVLVS &c. Caſimiro Regi Poloniæ &c. *Nobis & Apoſtolicæ Sedi Jure fundationis immediatè ſubjecta Varmien. Eccleſia &c.* electionem per Dilect. Fil. Capitulum de perſona Ven. Fr. Nicolai Epiſcopi Varmien. concorditer factam, quam coram Nobis in Sacro Conſiſtorio propoſitam Canonicam reperimus

rimus de Ven. Fr. noſtrorum Conſilio Apoſtolica authoritate confirmavimus, & approbauimus. Proinde rogamus Serenitatem Tuam &c. anno 1469. Kal. Decembris.

C INNOCENTIVS VIII. Ven. Fratri Epiſcopo, & Capitulo Eccleſiæ Varmien. &c. Quia &c. dicta Eccleſia Varmien., cui Tu Ven. Frater præeſſe dignoſceris, *ſit & eſſe cenſeatur ſub concordatis Germaniæ prædictis*, ac ab exordio, quo Chriſtiana fides in partibus illis Deo opitulante recepta *per Sedem Apoſtolicam fundata eique extunc immediatè ſubjecta fuerit, proùt ſubjicitur etiam de præſenti &c.* mandantes &c. ſublata &c. decernentes irritum &c. quidquid ſecus ſuper his à quauis authoritate &c. contigerit attentari &c. 4. Martii 1488.= *Videatur infrà ſub num.*

D INNOCENTIVS PAPA VIII. Ven Fratri Epiſcopo, & Dilectis Filiis Canonicis, & Capitulo Eccleſiæ Varmien. Ven. Frater & Dilecti Filii, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Licèt Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Caſimiro Regi Poloniæ Illuſtri ſex perſonas idoneas ad ſingula Beneficia Eccleſiaſtica tunc latiùs deſignata in ſingulis Gneſnen., Cracovien, Poſnanien., Plocen., Vladislauien., & Varmien. Eccleſiis ſimul, vel ſucceſſivè vacatura nominandi, certisque Judicibus, ſiue Executoribus deſuper deputatis Beneficia hujuſmodi in fauorem perſonarum earumdem, ſiue diſpoſitioni reſervandi, aliisque, & alia facien. & exequendi plenam, & liberam dudum per quasdam noſtras Literas commiſerimus facultatem, prout in illis pleniùs continetur. Quia tamen noſtræ tunc intentionis non extitit, quòd facultas hujuſmodi ſe extenderet

Eadem comprehenſio ſub Concordatis Germaniæ comprobatur aliis reſcriptis Pontificiis.

tenderet ad aliquam Eccleſiam *ſub concordatis Germaniæ comprehenſam*, & ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat: *Dicta Eccleſia Varmien. cui Tu Ven. Frater præeſſe dignoſceris, ſit, & eſſe cenſeatur ſub Concordatis prædictis, ac ab exordio, quo Chriſtiana fides in partibus illis Domino opitulante recepta per Sedem Apoſtolicam fundata, eique extunc immediatè ſubjecta fuerit, prout ſubjicitur etiam de præſenti;* Quæ omnia tempore præfatæ Conceſſionis fuerant Nobis ignota. Nos his aliiſque rationabilibus cauſis inducti, Literas præfatas, & proceſſus habitos, & habendos per eoſdem cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, ac inde ſecuta quæcumque, proùt veſtram, & ipſius Eccleſiæ Varmien. collationem concernit, vel diuisim concernunt, illis quoad reliqua valituris, caſſantes, & annullantes, ac pro caſſis, & nullis haberi volentes authoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus præfatum Regem dictarum Literarum pretextu perſonam aliquam ad quodcumque Beneficium, & collationem Eccleſiæ Varmien. nominare, Executoresque prædictos Beneficium hujuſmodi ſuæ, vel alterius eorum diſpoſitioni reſeruare, ſeu illud perſonæ ſic nominatæ per ſe, vel alium, ſeu alios conferre, aliaque in eis contenta, quo ad Eccleſiam, & collationem Varmien. prædictæ dumtaxat facere, & exequi minimè potuiſſe, ſiue poſſe, nec debuiſſe, mandantes ſic per Dilectos Filios Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & quoſvis alios Judices, & Commiſſarios in quibusvis cauſis, quas coram eis in quacumque inſtantia præmiſſarum occaſione pendere forsàn contigerit,

pronunciari ſententiam, & definiri debere, ſublata eis, & cuilibet eorumdem quavis alia judicandi, ſeu interpretandi facultate, decernentes ex nunc irritum, & inane quidquid ſecùs ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, & Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibusque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 4. Martii Anno 1488. Pontificatus noſtri anno quarto.

E

Aliud Breue Innocentij VIII. ad Caſimirum Poloniæ Regem, quod pariter conteſtatur Varmien. Eccleſiæ comprehenſionem ſub Concordatis Germaniæ.

INNOCENTIVS &c. Caſimiro Poloniæ Regi &c. Cùm ea prudentia, atque animi rectitudine Tuam mentem præditam eſſe ſciamus, quam iſtius Regni Dignitas, & amplitudo requirit, vereri non poſſumus, quin pro tuo æquiſſimo ludicio, & mente Catholica proviſionem Eccleſiæ Varmien. de ipſo Electo nuper per Nos factam in optimam partem ſis accepturus. Nullum eſt enim à Nobis prætermiſſum officium boni, & veri Parentis, Tuæque mentis deſiderio ſatisfacere cupientis, ſicuti per alias Literas noſtras Nos facturos policiti ſumus, & tui Oratores coràm referre potuerunt. Nam quamvis omnia clara, & aperta eſſent, quæ pro Electo faciebant, tamen, ut nullum pro parte Tua probationis argumentum extingveretur, vel relinqueretur, quod animum tuum ſuccendere poſſet, hujus negotii deliberationem ad duos menſes protraximus, ipſique Oratori tuo, qui in ea re optimè, ac prudentiſſimè, & diligenter ſe geſſit, licèt ut ipſemet narravit, nullum ad id mandatum habeat, facultatem dedimus ubi, & quando opus eſſet

Biblioteka Uniwersytecka Toruń

eſſet Jura tua omnia producendi, quibus pleniſſimè conſpectis, & recti Iudicii examine conſideratis; *Cumque duobus Conſiſtoriis res propoſita fuiſſet*, tandem matura omnium diſpoſitione, diſcuſſioneque Jure compertum eſſet aliter fieri non potuiſſe, quàm quod factum eſt; *Cùm nulli dubium eſſet, quin Beneficio Concordatorum illa Eccleſia gaudere debeat*, id, quod confirmationibus per noſtros Prædeceſſores ipſis Electis factis declaratum ſit, pluribusque argumentis Eccleſiaſticis confirmatum, comprobatumque. Itaque Majeſtatem tuam hortamur &c. Dat. Romæ die 12. Junii 1489. Anno quinto.

Marcus Epiſcopus Præneſtinus Cardinalis tit. S. Marci. ad D. Caſimirum Regem Poloniæ.

F

Epiſtola juſtificatoria reſolutionis Sacri Conſiſtorij coram Innoc. VIII. à Card. Præneſtino, ſcripta ad Caſimirum Poloniæ Regẽ ſuper comprehenſione Eccleſiæ Varmien. ſub concordatis Germaniæ. Ex Lib. Archiuij Varmien.

Sereniſſime Princeps &c. Non ſum immemor fungens Legationis munere apud majeſtatem Veſtram, quàm honorificè fuerim ab illa exceptus &c. *Ecce quo neſcio mihi minimè quærenti fuit per Sanctiſſimum D. N. de menſe Martio Cauſa vacationis, & Electionis Eccleſiæ Varmiæ, & propterea à me per menſes duos, in quibus tam ex Hiſtoriis, quàm Privilegiis, & doctiſſimorum ſenſibus, Literis Apoſtolicis, & Imperialibus, pluribus auditis Aduocatis, & ſæpiùs Majeſtatis Veſtræ Oratori, cui cum Aduocato principalia partis Iura aperta erant, recenſitàque tota re annorum ducentorum, & ſeptuaginta data eſt pleniſſima Informatio de mandato SS. D. N. ab utraque Parte Reuerendiſſimis ceteris Cardinalibus, & cauſa plenè diſcuſſa per duo Conſiſtoria ducta in longum, me referente clarè cognitum eſt de juſtitia Eccleſiæ Varmien., & electi, ut ipſa compellente juſtitia, nullo prorsùs alio reſpectu Ieſu Domino Noſtro teſte ſummo*, confirmata fuerit electio

Jure concordatorum Nationis Germanicæ, proùt fel. record. Paulus, & Sixtus ultimò fecerunt &c. *proùt ex mente SS. D. N. Majestas Vestra percepit. Romæ die xv. Nouembris 1490.*

Num. 5. *Instrumentũ conuentionis inter Regem Poloniæ Casimirum, & Nicolaum Episcopum Varmien. de gratæ personæ eligenda in Episcopum. Ex Iacobi Prilusij tract. de Regiis Poloniæ Diplomatibus. Lib. Statutorum fol. 217. & seq.*

Anno 1479. die 15. Junij Petricoviæ in conventione Generali.

In nomine Domini &c. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Nicolaus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Varmien. Significamus &c. *quomodo destructioni Bonorum, subditorumque Ecclesiæ nostræ Varmien., quæ per armorum gentes facta est sitque, usque eò condolentes, ac ipsos Subditos nostros paci reddere optatæ cupientes:* Recensentes Episcopatum nostrum, & Ecclesiam vigore perpetuæ pacis inter Sereniſſimum Principem D. Casimirum Poloniæ Regem &c. ex una, nec non Ven. D. Magierum Generalem Ordinis B. Mariæ Virginis Theutonicorum &c. in Prussiæ partibus ex altera initæ &c. de corpore Inclyti Regni Poloniæ exiſtere &c. *præfatum Sereniſſ. Regem, ac Successores Reges Poloniæ &c. cum Ven. Capitulo Ecclesiæ nostræ prædictæ &c. recognovimus, recognoscimusque præsentibus Protectorem Ecclesiæ nostræ &c. sub Articulis infrascriptis &c. Præterea submittimus, & præsentibus obligamus Nos cum Capitulo Ecclesiæ nostræ Varmien., quòd in futuris electionibus pro tempore, siue postulationibus Episcoporum dictæ Ecclesiæ Varmien. Capitulares ejusdem Reg. Majestati, & suis Successoribus* personam gratam *eligere tenebuntur &c.* In quorum fidem &c.

A *Non subsecuto ullo usu, seu obseruantiæ prædictæ con-*

In nomine &c. Nos Sigiſmundus &c. Rex Poloniæ &c. Significamus &c., quòd cùm defuncto bo. mem. Luca Episcopo Varmien. ejusdem Ecclesiæ

cleſiæ Prælati, & Canonici ad electionem novi Epiſcopi &c., fuiſſetque orta aliqualis controverſia ſuper eadem electione, quæ videbatur Nobis facta non obſervato tenore cujuſdam Articuli inter olim Sereniſs. Regem Caſimirum Genitorem noſtrum &c., & R. P. D. Nicolaum Epiſcopum Varmien., ac ejus Capitulum &c., in quo cavetur, quòd iidem Canonici Eccleſiæ, defuncto eorum Epiſcopo perſonam gratam Regibus Poloniæ eligere teneantur, *cumque ejuſdem Articuli de eligenda grata Regibus perſona interpretatio in dubium hinc inde traheretur:* Nos proſpicere cupientes, nè poſthac controverſia inter Nos, & vel Succeſſores noſtros, & Capitulum d. Eccleſiæ Varmien. ſuper electione Epiſcoporum exoriri poſſit, *convenimus, quòd cùm contigerit vacare Eccleſiam Varmien. &c. Nos, Succeſſoresque noſtri, quatuor pro arbitrio noſtro ex ejuſdem Eccleſiæ Prælatis, & Canonicis nominabimus &c. Ipſi verò Prælati, & Canonici prædicti unum ex illis quatuor, quem voluerint &c. eligere in Epiſcopum tenebuntur &c.*- Habetur reliquus, & integer tenor dd. pactorum in altero Summario hujus anni pro parte Rmi Capituli dato; atque Apoſtolica confirmatio obtenta demùm à Leone X. PP. expetente duntaxat ipſo Rege Sigiſmundo.

ventionis ob alias conditiones incompetenter adjectas, tandem poſt lapſos annos 33. Sigiſmundus I. Rex Poloniæ iniit noua pacta cum Fabiano Epiſcopo Varmien. ſuper quatuor Candidatis ad Epiſcopatum nominandis.

Num. 6.

IVLIVS PAPA II. Dilecti filii ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Et ſi vos non lateat Eccleſiam iſtam ex Bonis Sanctæ Apoſtolicæ Sedis fundamenta ſumpſiſſe, fuiſſeque omni tempore à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, illius Jura, Priuilegia, ac Bona magno affectu tutata. Vos tamen, ſicut accepimus in dictæ Sedis contemptum, & Animarum veſtrarum euidentiſ-

Iulius II. habita notitia de ſupradicta conuentione, monet Epiſcopum, & Canonicos, atq; inhibet &c.

simum periculum, scientes Bona hujusmodi à dicta Sede Apostolica habuisse, & eidem Sedi immediatè vos esse subjectos, non veremini interdum aliqua ex ejusdem Ecclesiæ Bonis alienare, cui rei Pastorali nostro, ut incumbit officio occurrere paternè volentes, vobis & vestrum cuilibet, prout ad unumquemque vestrum spectat per præsentes in virtute sanctæ obedientiæ inhibemus expresse, ne quidquam de Bonis dictæ Ecclesiæ alienare, nec contra illius Iura, Privilegia, statum, & libertatem Nobis inconsultis innovare quovis modo præsumatis, ut autem res vestras commodiùs tueri, & cum serenitate animi debitas Deo laudes persoluere possitis ad Chariss. in Christo Filium nostrum Sigismundum Poloniæ Regem Illustrem scripsimus, ut rebus vestris, vobis opportunè fauere velit, quod pro sua Regia bonitate, atque prudentia cum nostro intuitu non dubitamus esse facturum. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 23. Septembris, Pontificatûs nostri Anno nono.

A

Capitulum Varmien. unà cum suo Episcopo protestatur conuentionem initam cum Sigismundo Rege super electione Episcoporum, nullius esse debere valoris & roboris si non sit à Sancta Sede approbata.

In nomine Domini, Amen. Anno à nativitate ejus 1512. Indictione 15. die 28. Decembris Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. Julii Divina Prouidentia Papæ II. Anno nono. Reuerendiss. in Christo Pater D. Fabritius DEI gratia Episcopus Varmien., ac Ven , & Eximii DD. Andreas Klet Custos, Georgius de Delau, Ioannes Sculteetus, Balthasar Stochfis, Nicolaus Copernicus, Henricus Schnellemergh, Ioannes Caprit, Tidemannus Gyse, Prælati, & Canonici Ecclesiæ Varmien. capitulariter congregati, & Capitulum repræsentantes, proposuerunt, quòd cùm suprafatus

R. P.

R. P. D. Epiſcopus nuper in Conuentu Petricouien. pro Feſto D Martini anni prædicti cum Sereniſſ. Principe D. Sigiſmundo Poloniæ Rege ſuper electione Epiſcoporum prænunciatæ Eccleſiæ, de qua ſuborta fuerat controuerſia, concordâſſet, & ſublata differentia in eamdem ſententiam Literis concordiæ ſuper hoc confectis conueniſſet; In quibus Literis, licèt nulla de conſenſu Sedis Apoſtolicæ ex certis cauſis mentio fieret, prædicti tamen Epiſcopus & Canonici omnia, & ſingula in hujuſmodi concordiæ Literis eatenus ſubſiſtere, ac firma, fixaque eſſe voluerunt, quatenus Sedis Apoſtolicæ authoritas & conſenſus, in hujuſmodi tractatibus etiam tacitè ipſo Iure ſubintellectus accederet; De quo ſolemniter, & expreſsè proteſtati ſunt, petentes à me Notario publico infraſcripto ſuper hoc publica ſibi confici documenta. Acta fuerunt hæc in loco Capitulari præfatæ Eccleſiæ Varmien., anno, Indictione, die, menſe, & Pontificatus, quibus ſuprà, præſentibus ibidem DD. Paulo de Seburgh, & Ioanne Reichenbergh Varmien. Diœceſis Presbyt., ac prædicti Rev. D. Epiſcopi Capellanis Teſtibus ad præmiſſa vocatis, & ſpecialiter rogatis. Ego Felix Reich Pomeſanien. Diœceſis publicus S. Apoſt., & Imperiali authoritatibus Notarius his prædictæ allegationi, & proteſtationi, omnibusque aliis, & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, fierent unà cum prædictis Teſtibus præſens interfui eaque omnia, & ſingula &c. Idcircò hoc præſens publicum Inſtrumentum manu mea ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, publicaui, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque, & nomine meis

is ſolitis ſignaui. In fidem præmiſſorum rogat., & requiſit.

B

Reformatio pro Epiſcopo, Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Varmien. Habetur producta in Secretaria Conſiſtoriali Poſitione Varmien. an. 1698 & 1711.

IVLIVS PAPA II.

Beatiſſime Pater. Alias cùm per Sedem Apoſtolicam per Magiſtrum Ordinis B. Mariæ Theutonicorum, & alios Præceptores, ſeu Magiſtros, & Fratres dicti Ordinis, in Prouincia Pruſſiæ, facta fuiſſet expeditio, communiter contra Infideles occupantes Terras dictæ Prouinciæ Pruſſiæ, & expulſis dictis Infidelibus, multæ Terræ, ac etiam Prouinciæ recuperatæ fuiſſent, diviſio, & limitatio Terrarum, & Bonorum recuperatorum inter Sedem Apoſtolicam, & Magiſtrum, & Fratres prædictos factæ fuerunt de conſenſu dictorum Magiſtri, & Fratrum per bo. mem. Vilhelmum Epiſcopum Mutinen. in illis, & aliis partibus circumvicinis dictæ Sedis Nuncium, & una Sedi Apoſtolicæ, duæ verò partes Bonorum, & Terrarum recuperatarum hujuſmodi Magiſtro, & Fratribus prædictis aſſignatæ, & conceſſæ fuerunt. Et per eundem Epiſcopum Mutinen. Nuncium authoritate prædictæ Sedis, & ſpecialis facultatis, ſibi deſuper, ut aſſerebat conceſſæ Cathedralis, & Sæcularis Eccleſia Varmien. erecta, & de Bonis prædictis ad Sedem Apoſtolicam pertinentibus dotata extitit, ita ut ex tunc jus eligendi in dicta Eccleſia Præpoſitum, Decanum, Cantorem, Scholaſticum, Cuſtodem, ac Canonicos ad Epiſcopum Varmien. pro tempore exiſten. unà cum Capitulo ejuſdem Eccleſiæ; Ius verò eligendi, ſeu poſtulandi Epiſcopum ad Capitulum, & Canonicos dictæ Eccleſiæ &c. pertineret, fuerintque hujuſmodi diviſio, & limitatio per fel. rec. Innocentium

PP.

PP. IV. S. V. Prædeceſſorem approbatæ, & confirmatæ, prout in Literis Vilhelmi Epiſcopi, ac Nuncii, & Innocentii Prædeceſſoris prædicti deſuper reſpective confectis, quarum tenores etiam pleniùs continentur, fueruntque, & alia Priuilegia tam Apoſtolica, quàm Imperiali, ſeu Regia, authoritatibus Epiſcopo, Capitulo, & Eccleſiæ Varmien. conceſſa, & donata, Creatura veſtra modernus Epiſcopus unà cum devotis Oratoribus veſtris Capitulo, & Canonicis dictæ Eccleſiæ Varmien. extiterunt in poſſeſſione, vel quaſi Jure conferendi Præpoſituram, & alias Dignitates, & Officia, ac Canonicatus, & Præbendas ipſius Eccleſiæ pro tempore vacantes; Et quia Canonici, & Capitulum in pacifica poſſeſſione, vel quaſi Juris eligendi, ſeu poſtulandi perſonam idoneam in Epiſcopum illius Eccleſiæ pro tempore, Paſtore carenti à tempore electionis hujuſmodi, & petendi confirmationem hujuſmodi electionis Epiſcopi à Sede Apoſtolica, *prout ipſe modernus Epiſcopus in Epiſcopum dictæ Eccleſiæ, tum certo modo Paſtore carentis electus, ſuæ electionis confirmationem à fel. record. Innocentio PP. VIII. S. V. Prædeceſſore impetravit, & obtinuit. Et quia conceſſa per Sedem Apoſtolicam, ſeu Epiſcopis authoritate, eò firmius ſubſiſtant, quæ ſæpiùs fuerunt per eandem Sedem Apoſtolicam approbata, innovata, & confirmata.* Cupiunt Epiſcopus, & Capitulum, ac Canonici prædicti, quidem & talia Privilegia, & Indulta, quæ per Sedem prædictam, Reges, & Imperatores, ac alios Principes eidem Eccleſiæ Varmien., quàm illius Epiſcopo, Canonicis, & perſonis conceſſa, pro illorum, ſubſiſtentia firmiori videlicet per S. V.

approbari, & confirmari. Supplicat igitur eidem S. V. Episcopus, & Capitulum, ac Canonici prædicti, quatenùs præmissis attentis, *quodque ipsa Ecclesia Varmien. Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, & sub concordatis Principum Germaniæ existit, ac ex Bonis per Sedem eandem, ut præfertur ab Infidelibus recuperatis fundata, & dotata extitit*, & ne ipsa Ecclesia, ipseque Episcopus, & Capitulum, Canonici, & aliæ ejusdem Ecceſiæ personæ in remotissimis partibus, & Infidelibus vicinis existentes clypeo, & authoritate Sedis Apostolicæ prædictæ à volentibus illius Jura, & Jurisdictiones, ac Bona occupare, infringere, & usurpare, se tueri possint, opportunè prouidentes, eosque specialibus fauoribus, & gratiis prosequen., prædicta, & quæcumque alia Priuilegia, Immunitates, Exemptiones, & Indulta Episcopo, Capitulo, & Ecclesiæ, ac illius personis prædictis per Romanos Pontifices, seu Sedem prædictam, aut Legatos ejus, seu Imperatores, Reges, & alios Principes concessa, & Indulta, Apostolica authoritate approbari, confirmari, & innouari, & illa futuris temporibus perpetuis obseruari decernen.; Et nihilominùs, quatenùs forsan reperirentur aliquæ subjectiones Episcopi, Capituli, Canonicorum, & personarum prædictarum, cuicumque personæ Sæculari, etiamsi Imperiali, Regali, aut quauis alia præeminentia, seu authoritate præfulgeat per Episcopum, Capitulum, Canonicos, & personas prædictas, seu eorum Anteceſſores in præjudicium libertatis Ecclesiasticæ, & Sedis prædictæ, cui dicta Ecclesia immediatè subjecta existit, & absque licentia ejusdem Sedis facta, seu esset juramento, aut sub aliis pœnis firmata,

mata, prout de facto, & in præjudicium Eccleſiæ, & illius perſonarum, ac authoritatis prædictæ Sedis diſpoſitionem factæ fuerunt, eadem authoritate Apoſtolica revocare, & annullare, ſeu potiùs nullius roboris, & momenti fuiſſe, & eſſe, ipſoſque Epiſcopum, & Capitulum, ac Canonicos, & perſonas dictæ Eccleſiæ Varmien. ſimiliter nunc, & pro tempore exiſtentes ad illorum obſervationem etiam prætextu juramenti deſuper præſtiti, ſeu ab eis extorti non teneri, neque ad id invitos cogi, & compelli poſſe, ſimiliter decernere, & declarare, ac juramentum ejuſmodi, quatenùs opus ſit, eiſdem Epiſcopo, Canonicis, Capitulo, & perſonis relaxare dignemini, de gratia ſpeciali, non obſtan. præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscumque cum clauſulis opportunis. *FIAT, VT PETITVR, I.*- Et cum abſolutione à cenſuris ad effectum &c. Et cum approbatione, confirmatione &c., nec non revocatione, caſſatione, annullatione, decretis declaratione, & relaxatione, de, & omnibus prædictis perpetuò. Et quod Literæ deſuper expediendæ in forma gratioſa ad perpetuam rei memoriam, & cum deputatione Executorum &c. ſub cenſuris Eccleſiaſticis &c., & cum poteſtate cenſuras hujuſmodi aggravandi, & reaggravandi, invocatione brachii Sæcularis, contra quoscumque &c., & cum derogatione Conſtitutionum de una, & Concilii Generalis de duabus Dietis, & quod major ſpecificatio tenorum haberi, ac Privilegiorum, & Indultorum prædictorum, & ſi quæ forſan reperirentur ſubjectiones, ſeu conuentiones &c., ut Superiori narratiua, a-

liorumque præmiſſorum, & circà ea neceſſariorum &c. *FIAT. I.* - Dat. Romæ apud S. Petrum octauo Idus Februarii Anno nono.

Sumptum ex Regeſtro ſupplicationum Apoſtolicarum, & collationatum per me Sebaſtianum Stuninum ejuſdem Reg. Mag.

(Locus Sigilli).

Num. 7. *Conuentionẽ inter Regem Sigiſmundũ, & Fabianum Epiſcopum de, & ſuper electione, ſeu poſtulatione Epiſcopi Varmien. confirmat Leo X. Papa, quatenùs licitè, ritè, & ſine prauitate facta eſt.*

LEO EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. Chariſſimo in Chriſto Filio Sigiſmundo Poloniæ Regi Illuſtri, & Ven. Fratri Fabiano Epiſcopo Varmien. ac dilectis Filiis Capitulo Eccleſiæ Varmien. ſalutem &c. Quia &c. ea quæ ſunt judicio, & concordia definita, Apoſtolico Nos decet præſidio communire, exhibita ſiquidem Nobis pro parte veſtra petitio continebat, quod &c. *de, & ſuper electione, ſeu poſtulatione Eccleſiæ Epiſcopique Varmien. &c.* Partes ipſæ unanimiter tunc ad certam expreſſam deuenerunt compoſitionem, & concordiam &c. Vos ipſi inſimul ſub certis tunc expreſſis pactis, & conditionibus licitis, & honeſtis &c., proùt in quibuſdam Literis authenticis, & publicis Inſtrumentis deſuper confectis, dicitur pleniùs contineri. Quas quidem &c. compoſitiones, & concordias, ac proùt illas concernunt omnia, & ſingula &c. rata, & grata habentes &c., *ſicut ritè, & ſine prauitate, & prouidè facta ſunt, & ab utraque parte recepta*, authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, & communitionis infringere &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1513. 17. Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno primo.

Romæ

Num. 8.

Romæ die Veneris xvii. menſis Julii MDXXIII. fuit Conſiſtorium. Referente Sanctiſſ. Domino Noſtro. Prouidit Eccleſiæ Varmien. *in Confinibus Regni Poloniæ* vacanti per obitum D. Fabiani Epiſcopi Varmien. extra Romanam Curiam defuncti, de perſona Mauritii Ferber Cuſtodis præfatæ Eccleſiæ *confirmando electionem factam per Capitulum*. Cum retentione Beneficiorum ſuorum - *Ex regiſtro Cancell. Apoſt. Decretorum Conſiſtorialium ſan. mem. Adriani PP. VI. fol.* 227.

Circa prouiſiones Apoſtolicas Eccleſiæ Varmien. poſt initam, ut ſuprà conuentionem cum Sereniſſ. Poloniæ Regibus, nulla ſubſecuta fuit innouatio veteris formulæ, eas faciendi vigore ſolius electionis, ſeu poſtulationis, Capitularis.

A

Romæ die Veneris xi. Januarii MDXXXVIII. apud Sanctum Petrum fuit Conſiſtorium, & in eo &c. Referente Reverendiſſimo Domino SS. Quatuor.

Confirmavit electionem factam à Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Varmien. in perſonam R. P. D. Joannis Dantiſci Epiſcopi Culmen., abſolvitque eumdem à vinculo &c., & tranſtulit ad dictam Eccleſiam Varmien. vacantem per obitum Mauritii extrà Romanam Curiam defuncti Abſolvens &c.- *Ex ſupradicto regiſtro Cancell. Decretorum Conſiſt. ſan. mem. Pauli Papæ III. fol.* 51.

Poſt redactã à Paulo III. PP. reg. 2. Cancell. ad generalem abolitionem electionũ Capitularium, præſervata remanſit Eccleſia Varmien. in ſuo jure liberæ electionis, ut conſtat ex Decretis Conſiſtorialibus confirmatoriis electio-

num à Capitulo Varmien. usque ad exitum seculi XVI. factarũ.

B

Romæ apud S. Petrum die Lunæ xx. Maij MDXLIX. fuit Consistorium, & in eo &c. Referente me Vice-Cancellario.

Admisit postulationem de persona R. P. D. Tidemani Ghise Episcopi Culmen. in Episcopum Varmien. per Capitulum Ecclesiæ Varmien. Sedi Apostolicæ immediatè subjectæ, tunc per obitum bo. mem. Joannis olim Episcopi Varmien. extrà Romanam Curiam defuncti, & eum absoluens à vinculo &c. transtulit ad Ecclesiam Varmien. &c. = *Ex dicto regist̃o Cancell. Apost. Jan. mem. Pauli Pap. III. fol.* 100.

C.

Romæ die xxvii. Aprilis MDLI. apud S. Petrum fuit Consistorium, in quo &c. Referente Rmo Maffeo,

Admisit postulationem R. P. D. Stanislai Episcopi Varmien. nuper Culmen. per DD. Decanum, & Capitulum *Ecclesiæ Varmien. Sedi Apostolicæ Iure fundationis, & donationis immediatè subjectæ*, illorum Ecclesiæ hujusmodi tunc per obitum bo. mem. Tidemani Episcopi Varmien. extrà Romanam Curiam defuncti Pastoris solatio destitutæ, via scrutinii concorditer celebratam, ac præfatum Stanislaum Episcopum à vinculo Ecclesiæ Culmen. &c. absoluit, Episcopum præfecit &c.= *Ex regist̃o Cancell. supradictæ san. mem. Iulij Papæ III. fol.* 86.

Prænotatæ prouisiones Apostolicæ reperiuntur pariformiter sub eisdem tenoribus, & sub eisdem Datis regist̃ratæ in Libris Secretariæ Consistorialis, & signanter Libro rerum Consistorialium san. mem. Leonis X. incipien. ab anno 1517., & mense Martio usque ad annum 1585., & usque ad finem Pontificatus san. mem. Gregorii XIII. videlicet

licet *fol.* 58. *& fol.* 161. *atque fol.* 355.

Item in prædictis Libris reperiuntur ſucceſſiuè aliæ prouiſiones Conſiſtoriales Varmienſis Eccleſiæ, in quibus nullum verbum fit *de Regia ſupplicatione* ſic Mart. Antonius Cromerus fuit deputatus Coadjutor in Epiſcopatu Varmien. cum futura ſucceſſione anno 1570. 22. Julii S. Pii V. Pontificatus Anno quinto. Dicto Reg. Secret. Conſiſtorialis *fol.* 742. Sic quoque Sereniſſimus olim Princeps Andreas Cardinalis Bathoreus per Breue Gregorii XIII. ſub Datum Romæ anno 1584., & ſimiliter per ſpeciale Breue Gregorii XV. ejus Pontificatus Anno primo, confirmata fuit electio Epiſcopi facta à Capitulo Varmien. in perſona Sereniſſ. Principis Joannis Alberti Poloniæ Regis Filii, uti recenſetur in altero eiuſdem Pontificis Breui dato ad Capitulum Varmien., & relato *præſenti hoc Summ. num.* 11.

Indicationes aliarum prouiſionum Eccleſiæ Varmien. ſubſecutarum ſolo intuitu electionum, ſeu poſtulationũ factarum à Capitulo, ſine ulla mentione Regiæ ſupplicationis.

Anno 1600. die 5. Julii. Num. 9.

Claudius Rangonus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia &c. ad Regnum Poloniæ &c. cum facultate Legati de Latere Nuntius. Noveritis coram Nobis comparuiſſe Illuſtriſſ. D. Petrum Tilicki Epiſcopum Culmen. &c. *& expoſuiſſe ſe inter perſonas à Sacra Regia Majeſtate nominatas Prælatis, ac Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Varmienſis* per obitum S. P. Andreæ Card. Batthorei vacantis *juxtà jura, prærogativas, & pactiones ipſius Eccleſiæ dudum antea cum S. M. Anteceſſoribus Poloniæ Regibus initas*, à prædictis Prælatis, ac Canonicis legitimè, & capitulariter congregatis electum, & poſtulatum fuiſſe ad Cathedralem Eccleſiam Varmien. prædictam, prout in Literis Patentibus coram Nobis exhibitis legitimè docuit &c.

Particulæ Proceſſuum Eccleſiæ, ſeu Epiſcoporum Varmien. à Reuerendiſſ. Nuntiis Apoſtolicis Poloniæ pro tempore Romam tranſmiſſorũ, & exiſtentium in Archiuo Sac. Collegij.

1604.

1604. die 25. Nouembris.

Coram eodem Rangono Nuncio Apoſtolico in electione Simonis Rudnicki Epiſcopi Varmien. habetur *Eccleſia Varmienſis, ad quam ex nominatis à prædicto Sereniſſimo Rege fuit electus à Capitulo &c.*

1633. die 13. Aprilis.

In Inſtrumento publico actus Capitularis Proceſſui inſerto habetur. *Nobis in unum Congregatis &c. D. Nicolaum Szyſzkowski &c. conſenſu unanimi in Eccleſiæ noſtræ Varmien. Epiſcopum & Paſtorem elegimus &c.*

1643. die 22 Maii.

Marius Philonardus Archi-Epiſcopus Auenionenſis Nuncius Apoſtolicus &c. Comparuit &c. Illuſtriſſimus D. Joannes Carolus Comes à Konopat, *& exponens ſe juxtà antiquam conſuetudinem, & priuilegia à Summis Pontificibus Eccleſiæ Varmien. conceſſa &c. fuiſſe electum in Epiſcopum Varmien. à Capitulo Eccleſiæ Varmien. vacantis &c.* per obitum Nicolai &c.

1644. die 27. Maii. *Abſente Nuncio.*

A. *Delegatus (abſente Nuncio Apoſtolico) Epiſcopus Poſnanien. Senator Regni jus Capitularis electionis conteſtatur in Proceſſu Epiſcopi Varmien.*

Andreas de Szoldrski Epiſcopus Poſnanien. &c. Noueritis &c. Illuſtriſſimum D. Venceslaum Leſczynski coram nobis &c. *comparuiſſe, & expoſuiſſe optare ſe, tanquam à Ven. Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Varmien. juxta privilegia, & Iura ſua tam à Sancta Sede, quàm à Sereniſſimis Poloniæ Regibus approbata electum,* & à Sereniſſimo Vladislao IV. &c. commendatum &c. promoveri &c.

1676. die 4. Decembris.

Coram Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D. Franciſco Martelli &c. Archi-Epiſcopo Corinthi Nuncio Apoſtolico &c. Perſonaliter comparens *Illuſtriſſimus*

mus D. Michàèl Radziowski produxit Inſtrumentum originale Literarum, quas Ven. Capitulum Varmien. ſcribit ad Sanctiſſimum &c. *continens ſui electionem ad Epiſcopatum Varmien. tenoris &c.* = Sequitur Decretum electionis Capitularis.

Omittitur aliud ſimile documentum electionis, ſeu poſtulationis Illuſtriſſimi D. Joan: Stanislai Comitis de Sbąſzyn Sbąnſki Epiſcopi Varmien. ſimul cum Proceſſu pro prouiſione vacantis Eccleſiæ Varmien. à R. P. D. Nuncio Apoſtolico Regni Poloniæ tranſmiſſum anno 1689., & pariter aliud in ſimili Proceſſu Nuncii Apoſtolici de anno 1698., qui reperiuntur in Libris Secretariæ Conſiſtorialis dictis annis.

B

In recentiſſimis Proceſſibą pro Epiſcopatu Varmien. habita fuit ratio electionis Capitularis uti exprimitur etiam in Epiſtola Eñi De Via, tunc Nuncij Apoſtolici in Regno Poloniæ ad Eñum Secretarium Status Pontificij.

Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Signore &c. Fin da' primi giorni &c. compianſi le grauiſſime miſerie, alle quali ſono ſtati eſpoſti li Beni Eccleſiaſtici di Pruſſia &c.

Circa il mantenimento de' priuilegii, & eſenzioni del Capitolo, hò ſodisfarto à queſt' ultima parte col non amettere la nomina di Monſignor di Plosko nominato al Veſcouato di Varmia, fin tanto non mi coſti *dell' elettione del Capitolo, che ſecondo li concordati fatti co' Rè di Polonia, deue ſcieglière uno de' quattro Canonici Capitulari, che ſaranno preſentati dalla Maeſtà Sua &c.*

Varſauia 6. Maggio 1698.

Vmiliſſimo, Deuotiſſimo, & Obligatiſſimo Seruitore
G. A. Arciueſcouo, e Veſcouo di Rimini.

In Proceſſu Varmien. ex Nunciatura Apoſtolica ultimo loco circà initia anteacti anni ad Urbem tranſmiſſo, utpotè formato Sede Epiſcopali Varmien.

C

D

mien. uſque tunc plena: & nonniſi pro eventu futuræ illius vacationis ob deſignatam translationem Epiſcopi Varmien. ad aliam Eccleſiam Primatialem Poloniæ; expreſſa quidem fuit in ejuſdem Proceſſus articulatis petitionibus, *qualitas electiva ipſius Eccleſiæ Varmien. innixa Concordatis Germaniæ*, quia tamen præter veterem, conſuetamque praxim idem Proceſſus emanavit præuentiuè antequàm Capitulum, & Canonici ritè, & legitimè devenire poſſent ad actum electionis ſeu poſtulationis alterius Epiſcopi, idem Capitulum, & Canonici, nè inde futuris temporibus oriri poſſit Iuribus Eccleſiæ, & ſuis ullum præjudicium, cenſuerunt ſibi eſſe præcauendum deſuper emiſſa publica manifeſtatione, tenoris ut ſequitur.

D In nomine Domini &c. Vniverſis, & ſingulis &c. Notum ſit, qualiter anno &c. 1723. die verò 10. Novembris, Indictione &c. In mei Notarij Apoſtolici, Teſtiumque infraſcriptorum præſentia, in Loco & Conuentu conſueto. Ven. Capituli Eccleſiæ Cathedralis Varmien. Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Ioan: Franciſcus de Kurduanouia Kurdwanowski Epiſcopus Maroccen. Suffraganeus, Præpoſitus &c., & Præſes Capituli Varmien. &c. ſuo, necnon omnium, & ſingulorum ibidem capitulariter congregatorum Canonicorum nomine, palàm, publicè, diſertis verbis expoſuit, qualiter ſcilicet Ven. Capitulum ſupradictum indubitatam habeat notitiam, quòd contra antiquiſſimam praxim, jura, & privilegia Varmienſis hujus Eccleſiæ, & Capituli, ante electionem, vel poſtulationem à Ven. Capitulo debitè, & legitimè factam, Proceſſus in fauorem Illuſtriſſimi, & Reveren-

verendiſſimi Dñi Chriſtophori de Słupow Szembek Epiſcopi Præmislienſis, pro ſucceſſione ad huncce Epiſcopatum Varmienſem, poſt translationem Suæ Illuſtriſſimæ Celſitudinis, Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. Theodori Potocki Epiſcopi Varmien: & Sambien: ad Primatum, & Archi-Epiſcopatum Gneſnenſem, proximè ſubſequendam, obtinenda; in Sacra Nunciatura Regni Poloniæ Apoſtolica, non obſtantibus remonſtrationibus per Deputatos Ven. Capituli in contrarium factis, tractatus, formatus, & actualiter Romam ſit tranſmiſſus; Et proinde Ven. Capitulum meritò timens, quòd expeditio in Romana Curia per Agentes Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Epiſcopi Præmislienſis, vigore hujus Proceſſus, obtineri, & impetrari poſſit, & propterea præcavere volens, ne quid fiat in præjudicium priuilegiorum, juriumque ſuorum, neuè ſtatuta, & laudabiles conſuetudines Inclytæ Eccleſiæ, & Capituli hujus Varmienſis conuellantur; ſeſe omni meliori modo, via, jure, & forma, quibus efficaciùs, & validiùs potuit, manifeſtavit, nec non de, ſuperque ejuſmodi Proceſſu, contra jura, priuilegia, & antiquiſſimam praxim, ante electionem, & poſtulationem, illegitimè facto, & formato, nec non ſuper omnibus, & ſingulis præjudiciis, damnis, incommodis, actibus, attentatis, & circa præmiſſa quomodocumque attentandis, in optima juris forma, ſolemniter, ſolemniùs, & quàm ſolemniſſimè eſt proteſtatum, reſeruando jus ſibi in toto, & integro, priuilegia, jura, ſtatuta, & conſuetudines ſuas, omni poſſibili modo, ſi, & quantum opus fuerit, defendendi, vindicandi, & firmiſſimè manutenen-

di. Quam quidem manifeſtationem, & proteſtationem publicè, & ſolemniter factam, Ven. Capitulum, ad omnem meliorem finem, & effectum, Actis Notariatûs mei publici Apoſtolici, inſeri, & ingroſſari, unumque, vel plura deſuper confici, & ſibi extradi Inſtrumentum, vel Inſtrumenta petiit, & poſtulauit. Acta ſunt hæc ad Eccleſiam Cathedralem Varmien. in loco, & conſeſſu Capitulari, anno, menſe, die, Indictione, Pontificatu, quibus ſuprà. Præſentibus Clariſs., & Admodum RR. Claudio Ioſepho Huguenin Diacono, nec non Valentino Mączynski Sub-Diacono, Vicarijs Eccleſiæ Cathedralis Varmien. ſæpè dictæ, Teſtibus ad id ſpecialiter vocatis, rogatis, & adhibitis.

Sequitur ſubſcriptio Notarij in forma &c. cum legalitate. Locus Signi.

Num. 10. Petrus Tilicki electus in Epiſcopum Varmien. à Capitulo, á quo cùm ei eſſet tradenda Epiſcopatus poſſeſſio, paſſus difficultates, quia tunc primùm in ejus prouiſionis Apoſtolicæ Bullis cœpit irrepere error illas expediendi ad ſupplicationem Sereniſſ. Poloniæ Regis ad inſtar Eccleſiarum Poloniæ; Eapropter idem Prouiſus obtinuit à Pontifice declarari per ſpeciale Breve, quòd inde non deberet oriri in poſterum præjudicium juri liberæ electionis, ſeu poſtulationis, quod competit ipſi Capitulo, cui præſentando dictum Breue expetiit, ut ſic ſatisfactum eſſet præſeruationi Iuris eligendi, quemadmodum conſtat ex ejuſdem Petri Epiſcopi Literis ea de re datis ad Capitulum Varmien. ſub data 7. Septembris 1601., quarum tenor authenticè habetur in ſæpè dicta Poſitione anni 1698., pariterque habetur ipſum Breve hic repetitum, ut ſequitur. CLE-

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam &c.

A

Breue Clem. VIII. pro ſanatione omiſſæ in Bullis Apoſtolicis Petri Tilicki Epiſcopi, mẽtionis de electione, ſeu poſtulatione à Capitulo facta.

Cùm nos nuper Ven. Fratrem Petrum Epiſcopum Varmien. olim Culmen. &c. ad Eccleſiam Varmien. Sedi Apoſtolicæ jure fundationis &c. immediatè ſubjectam &c. tranſtulerimus &c. Cumque ſicut nobis nuper nomine dilect. Fil. Capituli, & Canonicorum dictæ Eccleſiæ Varmien. expoſitum fuit dictus Petrus Epiſcopus ab eis in ſuum, & eorum hujuſmodi Eccleſiæ Epiſcopum in vim Priuilegiorum, & Indultorum ſibi à Sancta Sede conceſſorum poſtulatus fuerit, & ex quo in prædictis Literis nulla de hujuſmodi poſtulatione mentio facta reperitur, idem Capitulum, & Canonici dubitent, ne aliquod eorum juribus præjudicium illatum cenſeatur; Idcircò &c. *Nos igitur quibus ſemper cordi fuit &c. tenore præſentium decernimus, & declaramus noſtræ intentionis non fuiſſe, nec eſſe Iuri, Privilegio, & Indultis eisdem Capitulo, & Canonicis de ipſorum, dictæque Eccleſiæ Varmien. Epiſcopo deinceps eligendo, ſeu poſtulando competentibus, præjudicium in aliquo inferri, ſed jura &c. hujusmodi &c. ſibi ſalva, & illæſa, ſartaque, & tecta, ac in priſtino ſtatu, robore, & efficacia ſubſiſtere, & remanere in omnibus, & per omnia. Perinde ac ſi in ſupradictis de poſtulatione per ipſos Capitulum, & Canonicos de perſona prædicti eorum Epiſcopi, ut ſupra facta, expreſſa mentio habita fuiſſet &c. Quinimò ipſos Capitulum, & Canonicos occaſione, vel prætextu ſupradictarum noſtrarum Literarum de, & ſuper juribus, Privilegijs &c. prædicto nullo unquam tempore moleſtari, inquietari, vel impediri poſſe, nec non irritum, & inanè quicquid ſecùs ſuper his à quoque &c. Contigerit attentari &c.*

Datum &c. 6. Iulij 1601.

Aliud

Aliud ſimile Breve Leonis XI. pariter ſanatorium omiſſæ in Bullis Apoſtolicis mentionis per Capitulum factæ electionis Simonis Rudnicki Epiſcopi Varmien. gratia breuitatis omittitur, & per extenſum reperitur ſimiliter productum in Actis Sac. Congreg. Conſiſtorialis prædicta Poſitione anni 1698.

Dilectis Filiis Prælatis, Canonicis, & Capitulo Eccleſiæ Varmien.

Num. 11. *Forma prouiſionum Apoſtolicarum Eccleſiæ Varmien. per viam confirmationis electionum Capitularium redintegrata fuit ſub Gregorio PP. XV.*

GREGORIVS PAPA XV.

Dilecti Filii ſalutem &c.

Plura Nos impulerunt, *ut electionem, qua Principi Impuberi Ioanni Alberto Poloniæ Regis Filio Epiſcopatum Varmienſem detuliſtis Apoſtolica authoritate confirmaremus.* Primùm magni ponderis apud nos eſt eligentium judicium, qui enim probè intelligitis, quàm firmum, ac neceſſarium ſit Eccleſiaſticæ auctoritatis propugnaculum Epiſcoporum virtus ei tantam dignitatem obtuliſſe credendi eſtis, qui ad eam tutandam maximè ſit opportunus, ob Regalem Potentiam. Cùm etiam non vulgare Sacro Ordini ornamentum afferre queat ob egregiam Chriſtianæ pietatis indolem; iam verò Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Sigiſmundi Regis id obnixè flagitantis preces nullo modo ſpernendæ videbantur, qui enim ſua, Natorumque fortitudine Chriſtiani Orbis fines contra Barbarorum hoſtium impetus communit, par eſt eum ubi Regiam Sobolem DEO, Arisque addicere decrevit, haud refragantem inuenire Romanum Pontificem. Nos ideo, & Vobis eligentibus ac Regi nominanti Apoſtolicam auctoritatem libentiſſimè adjunximus. Deumque oramus, ut optimæ

mæ ſpei Princeps adoleſcens iis virtutibus ætate confirmata floreat, ut non minorem ſibi ſui mores gloriam comparent, quàm Regii Parentis promerita pepererunt. Vos autem pro Paſtorali noſtra ſolicitudine hortamur, memineritis Eccleſias Religionis Arces, ac Sacræ Militiæ Caſtra eſſe; proinde decet vos arma ſalutis capientes vigilanter in iſta ſtatione excubias agere pro animarum ſalute, *ita enim Apoſtolicæ Sedis Ditio defenſa,* & A Catholicæ Religionis cultus propagatus Vobis gloriam, toti verò Regno pariet felicitatem; Quod quidem non optantes ſolùm, ſed etiam ſperantes Vobis Chriſtianæ pietatis laude præſtantibus, Apoſtolica auctoritate iterùm benedicimus. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 10. Octob. MDCXXI. Pontificatus noſtri Anno primo. Ioannes Ciampolus. B

SIGISMVNDVS III. Rex Poloniæ &c. ſignificamus &c. Vniuerſis &c. cùm Ven. Capitulum, & Canonici Varmien. poſt obitum Reu. D. Simonis Rudnicki &c. ad Epiſcopatum Varmien. ſic vacan. Sereniſſimum Principem Io: Albertum Filium noſtrum chariſſimum, nec dum ejus Eccleſiæ Canonicum votis concordibus poſtulaſſent, exinde præjudicari videretur eorum Privilegiis, juxta quorum præſcriptum, nonniſi Canonicum, ſeu unum è gremio Capituli ſui ad eum Epiſcopatum aſſumere debuiſſent, Nos in hac parte indemnitati conſulere, illorumque jura ſalua per omnia, & illæſa conſervare volentes, unicum hunc actum ſpontè ejuſdem Ven. Capituli, & nonniſi cum cautione, quòd ideò juribus eorum Eccleſiæ præjudicare non intendant, factum, Privilegiis

Rex Sigiſmundus cautionem præſtat Capitulo Varmien. natione ſui Iuris eligendi Epiſcopum de gremio ipſiusmet Capituli.

giis nulla ratione præjudicare poſſe declaramus &c., ac ſi nunquam poſtulatio hujuſmodi interceſſiſſet &c.

Datum Varſaviæ 15. Decembris 1621. Regnorum noſtrorum Poloniæ 36. Sueciæ 28.

SIGISMVNDVS REX.

C

Stephanus Bathoreus Poloniæ Rex publica ſua declaratione præſtat cautionem Capitulo de non læſis pactis cum Regibus Anteceſſoribus conventis ratione Iuris eligendi Epiſcopum ex admiſſo Coadjutore &c.

STEPHANVS DEi gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ &c., necnon Tranſilvaniæ Princeps.

Teſtatum facimus tenore præſentium, quorum intereſt, ſeu intererit quomodolibet univerſis. Quod cùm Venerabilibus Prælatis, Canonicis, totique Capitulo Eccleſiæ Varmien. vigore certorum *Pactorum* inter Sereniſſ. Prædeceſſores noſtros Reges Poloniæ pro tempore exiſtentes, ipſumque Regnum ex una, & memoratum Capitulum, ipſamque Eccleſiam ex altera partibus *de, & ſuper electione Epiſcoporum*, aliàs firmatorum occurrente Eccleſiæ vacatione *Ius eligendi Epiſcopum*, certo ibi expreſſo modo competeret, prout in Literis Pactorum hujuſmodi (quarum tenorem hic pro expreſſo haberi volumus) latiùs continetur; Iidem verò Prælati, Cononici, & Capitulum, nihilominùs ad petitionem noſtram, & intuitu noſtri, non ſervatâ memoratorum Pactorum formâ, in perſonam illuſtris, &. Reu D. Andreæ Bathorei Canonici Varmienſis, noſtri ex fratre Nepotis (quem Reuerendiſs. in Chriſto P. D. Martinus Cromerus Epiſcopus Varmien. in proiectiori ætate conſtitutus, itidem expetentibus Nobis Coadjutorem ſibi ad regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, illiusque Bonorum in ſpiritualibus, & temporalibus unà cum futura ſucceſſione cooptauit) unanimi ſuffragio conſenſiſſent,

ſiſſent, eumque in omnes euentus vacationis prædictæ Eccleſiæ in futurum Epiſcopum elegiſſent, atque deſignaſſent. Nos ne quod Prælatis, Canonicis, & Capitulo, atque adeò ipſi Eccleſiæ Varmien. ex hoc ipſorum prompto, & alacri gratificandi Nobis ſtudio, eorumque juribus præjudicium generetur; Cauemus in poſterum pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniæ tenore præſentium, & promittimus verbo Regio, hoc exemplum in ſequelam trahi, eisque præjudicare, ſeu juribus ipſorum in aliquo derogare minimè poſſe, nec debere; Quin potiùs eadem ipſorum jura ſarta, tecta, & illæſa in ſtatu, & robore ſuo conſervamus, conſervataque eſſe volumus; Harum teſtimonio Literarum, quas manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigilli Regni noſtri appendi mandauimus. Dat. Grodnæ 10. Februarii Anno Domini 1584. Regni verò noſtri Anno octauo.

STEPHANVS REX.

Tilicki Secretarius.

(Locus Signi appenſi).

D

Aliud Diploma, ſeu cautio de non læſo jure electionis per deputationem Coadjutoris cum ſucceſſione in Epiſcopatu &c.

SIGISMVNDVS I. Rex Poloniæ &c. Quoniam R. P. D. Martinus Epiſcopus Varmien. Nobis &c. Compellentibus crebris ægritudinibus corporis ſui, Coadjutore opus habere &c., & Jo: Epiſcopum Culmen. in Coadjutorem Epiſcopatus Varmien. aſſumere cupiat &c. Noſtra Regia accedente permiſſione conſenſimus, *Quamvis verò hæc Coadjutoris aſſumptio de noſtro, & Ven. Capituli Varmien. conſenſu facta, pactis, quæ Nobis cum ipſo Capitulo ſuper Epiſcoporum electionibus intercedunt, nequaquam obuiet, tamen quoniam id à quibuſdam &c. in*

dubium verti posset, præsenti nostro Regio Decreto declaramus, cauemus, atque statuimus, hanc Coadjutoris assumptionem &c. futuris electionibus, & pactis propterea initis præjudicare, aut interruptionis &c. prætextum aliquem adferre non debere, nec posse, quin ipsa pacta &c. in sua firmitate integra, salua, atque inconcussa permaneant semper, quod Nos quoque pro Nobis, & Successoribus nostris Regibus ità obseruaturos pollicemur &c.

Dat. Vilnæ 1. Augusti Anno Domini 1536. Regni nostri Anno 30.

SIGISMVNDVS REX. (Locus Sigilli appensi).

SIGISMVNDVS Dei gratia Rex Poloniæ &c.

Num. 12. *Sigismundus Primus commemorando assensum recenter præstitum à Capitulo prodeputatione Ioan: Episcopi Culmen. in Coadiutorem, & Successorem Mauritij Episcopi Varmien. censet esse persistendum in eademsententia ob plures respectus.*

Venerabiles fideliter dilecti. Cùm ex vestris Literis, tum ex iis, quas dedit ad Nos Reverendiss. D. Ioannes Plocen. &c. Episcopus &c. Regni nostri Cancellarius, abundè cognouimus, quæ sit vestra de futuro Episcopo vestro sententia. Cupiunt enim Fidel. Vestræ, ut juxta pacta, quandoquidem Reuerendiss. D. Episcopus vester è vita decessit, quatuor ex Collegio earum nominemus, ex quibus in demortui locum Episcopum Ecclesiæ suæ Fidel. Vestræ deligere possint. Sed Nobis in præsentia alia habenda ratio videtur, quàm quæ in hujusmodi electionibus obseruari solita est, *saluis nihilominùs pactis, quæ inter Nos & Collegium vestrum interceserunt.* Neque enim clàm Nos est Capitulum vestrum solemniter jam consensisse, imò etiam communibus suffragiis elegisse Reuerendiss. D. Culmensem Coadjutorem, & Successorem, si quid Reuerendiss. D. Mauritio humanitùs accidisset. Quin etiam fecerunt Fidel. Vestræ, vt Literis

manibus Canonicorum ſubſcriptis, Epiſcopique defuncti, & Capituli ſignis communitis, à Sede Apoſtolica eum Coadjutorem Epiſcopo veſtro dari poſtularetis. Quæ omnia, cùm non modò aſſentientibus, verùm etiam libentibus Nobis facta ſint, neque noſtræ Dignitatis, neque veſtræ conſtantiæ eſſe videtur, à propoſita ſemel, certaque, & deliberata ſententia diſcedere velle atque rem jam factam, & propemodùm tranſactam in dubium reuocare. Quare ſuperuacaneum Nobis viſum eſt, minimeque neceſſarium, ut nunc quatuor de more ex Capitulo veſtro nominemus, cùm & Nos, & Fidel. unà Veſtræ in D. Culmenſem Epiſcopum jam conſenſerint, & eum pro nominato elegerint, ſatiuſque multò Nobis videtur nihil nouare, & ab aliis nominandis ſuperſedere, quòd ea res, nonniſi ad turbas excitandas ſpectare videretur. Quin, & Fidel. Veſtræ, noſtro judicio, rectiùs fecerint, ſi priori ſuæ ſententiæ ſteterint. Neque eſt, quòd illas moueat electionem veſtram Rmi D. Culmen. &c. in Coadjutorem, nondum eſſe à Sede Apoſtolica confirmatam; non ita magno negotio facilè id obtinebimus, ut confirmetur. Certè res hæc ita jam eſt diuulgata, ut citrà & noſtram, & Capituli veſtri ignominiam mutari non poſſit. Quamobrem omninò Nobis miſſa facienda eſſe videtur aliorum nominatio. *Quòd ſi verò vos rectiùs judicaveritis D. Epiſcopum Culmenſem denuò poſtulare*, nihil eſt, quod vereamini, ne quid ea res voluntatem noſtram ſit offenſura. Quin etiam, curæ Nobis futurum eſt, *ut eam Capituli veſtri poſtulationem, Summo Pontifici diligenter commendemus.* Quòd ſi verò, quod Nobis veriſimile non videtur,

Rex profitetur quòd Electos ſeu poſtulatos à Capitulo commendat

Summo Pontifici non nominat.

alienior est voluntas vestra, à postulando D. Culmense, quem tamen paulò ante Coadiutorem, & Successorem Episcopatus Varmiensis designastis, & legitimè elegistis, tum Nos, Personæ, & Dignitatis nostræ rationem habentes, ad diem per Fidel. Vestras electioni dictum, Nuncium nostrum, aut Literas mittemus, quibus vobis sententia, & voluntas nostra declarabitur. Nec moueat quicquam Fidel. Vestras jus pactorum: neque enim casus nunc est ejusmodi, in quo, vi pactorum nominationem fieri oporteat, cùm res integra non sit, licitumque Nobis sit, quoties voluntas nostra fert, Iuri nostro speciali renunciare. *Planum etiam, & testatum facimus Literis hisce nostris, si postulationem absq; nominatione Fidel. Vestræ fecerint, nihil ea re pactis derogatum iri*; neq; viciſſim id perinde haberi volumus, ac si Iuri nostro, in futuris vacationibus per Nos sit renunciatum &c. Quo minùs dubitare debetis, eum vobis Pastorem, & Episcopum deposcere cùm Ecclesiæ vestræ, propter multas, & magnas ingenij, animique dotes, non mediocri, & ornamento esse possit, & emolumento; Neq; committite, meritò ut vos quisquam inconstantiæ notare possit, si quod semel, certum vobis fuit, & deliberatum, id nunc mutare, viamq; & rationem excogitare velitis, quàm quod factum per vos est, infectum, reddere queatis; Pertinebit ea res, & ad honestatem vestram, & ad gratiam nostram erga singulos vestrum magis atque magis cumulandam. Optamus Fidel. Vestras benè valere, quarum Nos orationibus commendamus. Dat. Leopoli XIII. Augusti Anno D. MDXXXVII. Regni verò nostri Anno 31. SIGISMVNDVS REX. (Locus Sigilli).

Sequitur legalitas &c. *SIGIS-*

SIGISMVNDVS Rex Poloniæ &c. Dominus, & Hæres.

A

Venerabiles deuotè Nobis dilecti. Memores *pactorum, quæ Nobis, & Succeſſoribus noſtris cum Dominat. Veſtris de Epiſcopo iſtius Varmienſis Eccleſiæ eligendo interceſſerunt*, & cùm nunc Paſtore Eccleſiam iſtam orbatam videamus, mittimus Generoſum Nicolaum Nipſicz Capitaneum in Bucznioua Aulicum noſtrum &c., cui commiſimus nomine noſtro Dominat. Veſtris nonnulla referre, & *ſecundùm pacta* ad eligendum Epiſcopum *quatuor præelectos deſignare.* Ut itaque ei in his, quæ nomine noſtro expoſuerit fidem habeatis indubiam &c. facturi pro officio, & gratia noſtra. Dat. in Ciuitate noſtra Leopolien. 30. menſis Auguſti Anno Domini 1537. Regni verò noſtri 31.

Idem Sigiſmundus mittit Regium ſuum Ablegatũ ad Capitulum Varmien. inſtructum Literis teſtimonialibus ſuper commiſſo ei negotio circa deſignationẽ quatuor Candidatorum.

(Locus Sigilli).

SIGISMVNDVS Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, ac Maſouiæ &c. Dominus, & Hæres.

B

Venerabiles fideliter dilecti. Ea, quæ Nobis reſcripſiſtis ad Literas, quas de *Poſtulatione* Reu. in Chriſto P. D. Joannis Dantiſci Epiſcopi Culmenſis ad vos per Cubicularium noſtrum dedimus, ab eodem accepimus; quibus accuratè expenſis rationibuſque veſtris (maximè autem quòd à priore ſententia pro ipſo D. Epiſcopo Culmenſi vos non diſceſſuros reſcripſiſtis) permoti de more juxta *vim pactorum nobiſcum initorum*, ex omnibus vobis, quos nominatim deſcriptos ad nos miſiſtis; *Hos quatuor ad futuram electionem, ſeu poſtulationem* deligendos, nominandoſque duximus, deligimuſque ac nominamus his noſtris Literis; *Rev. in Chriſto Patrem D. Ioannem Dantiſcum Epiſcopum Culmen., &*

Alia ejusdem Sigismundi I. epiſtola cum deſignatione à Capitulo expetita quatuor Canonicorum pro electione Epiſcopi juxta pacta.

Venerabiles Ioan: Tidemannum Cantorem, Nicolaum Copernicum Doctorem, & Nobilem Achacium de Trencke Canonicos Eccleſiæ veſtræ Cathedralis Varmien., conſentimusque quemadmodùm pacta diſponunt, ut ex his quatuor unum in Epiſcopum Eccleſiæ veſtræ, Conſilioque noſtro utilem eligere, aut poſtulare poſſitis. Verùm non dubitamus, ſicuti ex literis veſtris cognovimus vos perſtituros in ſententia veſtra, qua ante hac de perſona R. P. D. Epiſcopi Culmen. in defuncti Epiſcopi veſtri locum ſufficiendum declaraſtis. Bene valete Deumque pro nobis orate &c. Dat. Leopoli 4. Septembris Anno Domini 1537. Regni verò noſtri Anno 31.

SIGISMVNDVS REX.

C

Sigiſmundi Auguſti epiſtola, ratione quatuor Candidatorum pro alia electione Epiſcopi.

SIGISMVNDVS AVGVSTVS Dei gratia Rex Poloniæ &c. Venerabiles devotè Nobis dilecti. Nuncius Dominationum Veſtrarum & Literas illarum Nobis reddidit, & quæ in mandatis habuit expoſuit, quem Nos benignè audivimus, quòd autem in hunc uſque diem petitioni D. V. non ſatisfecimus, neque *juxta pacta* certas perſonas nominaverimus, & horum temporum difficultas in cauſa eſt, & quòd ſummis nunc Reipub. curis diſtinemur. Cæterùm aut per Nuncium noſtrum, aut per Literas non multò poſt ſenſum noſtrum Dominationibus Veſtris explicabimus, *& nomina eorum, ex quibus unus erit eligendus mittemus.* Non dubitamus, quin D. V. in eo, quem eligendum duxerint *Sacrorum Canonum rationem habitura ſint*, nec aliud quicquam magis ſpectaturæ ſint, quàm fidei conſtantiam, & ea, quæ in Epiſcopo ſpectari maximè debent; Tum etiam illud Dominat. Veſtras curaturas confidimus, ut gratam Nobis perſonam eligant, quæ

tanto

tanto munere, quod illi erit impoſitum rectè fungi poſſit. Fecerint id pro fide ſua, & gratia noſtri. Bene valeant, & Nos in ſuis orationibus commendatos habeant. Dat. Petricoviæ in Vigilia Nativitatis Domini anno 1548. Regni noſtri 1.

(Locus Sigilli).

Num. 13. *Confirmatio Iurium Eccleſiæ Varmien. per Regem Sigiſmundum III.*

SIGISMVNDVS III. Dei gratia Rex Poloniæ &c., necnon Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Hæreditarius Rex. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis ita ab ipſa Epiſcopatus Varmien. Regno noſtro unione, Antiſtites ejus, totumque Ven. Capitulum, atque Vaſſallos, & Homines illius ſeſe geſſiſſe, ut non ſolum integram Divis Prædeceſſoribus noſtris, & Nobis, ipſique Reipublicæ ad hoc uſque tempus ſervaverint, & præſtiterint fidem; verùm etiam omnibus noſtris, & Reipublicæ neceſſitatibus numquam deeſſe voluerint. *Quorum quidem Iura, & Privilegia antiqua, pactaque cum Diuis Prædeceſſoribus noſtris inita, quamvis reſcriptis eorumdem Prædeceſſorum noſtrorum firmata, atque in præſentem diem ſarta, tectaque conſervata illibatè fuerint;* Veruntamen cùm eadem à Dignitariis, & Officialibus nonnullis Ducatus noſtri Pruſſiæ diverſis prætextibus, & coloribus labefactari, & quodammodò conuelli, tum quoque contrà ea, modernum Epiſcopum Varmien., Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Simonem Rudnicki, ejus Ven. Capitulum, ac Homines Epiſcopatus ipſius in Jus, & Juriſdictionem illorum; noviſſimè verò (exemplo anteà numquam uſitato) ad Palatinatum Mariæburgen. trahi, & vocari, inſuper ab Exactore contributionum publicarum in Conventibus Terreſtribus per Ordi-

A *Rex deteſtatur, & vetat abuſum Magiſtratuum, & Officialium ſuæ Regiæ Pruſſiæ, nam eorum juriſdictio non extenditur in Varmienſem Ditionem, quæ ſuo utitur, & regitur Iure.*

Ordinem Equeſtrem electo, vexari, & turbari, citraque ipſius aſſenſum in Conventibus earumdem terrarum ſtationes, & alias varias exactiones contra ipſum ejuſdem Eccleſiam, necnon Subditos, & Vaſſallos decerni, aliisque diverſis angariis, præter omnem conſuetudinem, atque adeò *contra antiqua ejuſdem Eccleſiæ, & Epiſcopatus jura, & libertates*, premi intelligamus, dignum eum judicavimus, quem ob ſingularia, ac plurima in Nos & Rempublicam univerſam, ſimulque anteceſſorum ejuſdem, totiusque illius Venerabilis Capituli tam vetera, quàm recentia merita, gratiâ, & beneficientiâ noſtrâ complectamur. Cùm enim difficillimis quibusvis Reipublicæ temporibus præclaram in Nos ſuam fidem, ſtudiumque indefeſſum, nullis ſumptibus parcendo, magna animi promptitudine & alacritate, Nobis ſemper declaraverit, idem quoque in proximè præterita totius quaſi Regni perturbatione, collecta ex Epiſcopatu ad perſolvenda trium Exercituum ex Moſcovia in Regnum noſtrum irrumpentium, prætenſa ſtipendia, ingenti ſumma, teſtatum abunde reddidit; Proindè æquiſſimam tantorum meritorum, ingentiumque ſumptuum, quibus fermè vires totius Epiſcopatus tot exactionibus exhauſtæ, & attritæ ſunt, ad præſens rationem habentes *omnia & ſingula jura, privilegia, libertates ac immunitates Epiſcopatus illius, tùm, & Regalia quævis, prærogativas, & conſuetudines antiquas quocumque nomine nuncupatas*, ad hoc uſque tempus tentas, & inviolabiliter obſeruatas, authoritate noſtra Regia confirmandas, & approbandas eſſe duximus, uti quidem præſentibus de certa noſtra ſcientia, & plenitudine poteſtatis noſtræ

B *Præſeruantur Varmienſi Ditioni Iura antiqua, & libertates.*

C *Celebratur beneficæ promptitudo Epiſcoporum Varmien., in ſuccurrendo juxta indigentiam Regni Poloniæ rebus.*

D

ſtræ Regiæ confirmamus, & approbamus, atque eumdem Reverendiſſimum Epiſcopum Varmien. modernum, & pro tempore exiſtentem, ipſumque Ven. Capitulum, atque Vaſſallos, & Homines omnes Epiſcopatus Varmien. illius, *circa eadem jura, & immunitates, in toto, & per omnia proùt Anteceſſores ipſorum in uſu eorum extiterunt, conſeruamus perpetuò, & in æuum.* Quod omnibus, quorum intereſt, præſertim verò Capitaneis, Palatinis, & aliis Officialibus Terrarum Pruſſiæ ad notitiam deducendo mandamus, ut memoratum *Reverendiſs. Epiſcopum Varmien. modernum, & pro tempore exiſtentem, ejusque Ven. Capitulum, atque Vaſſallos, & alios Homines ipſius juriſdictioni ſubjectos circa jura, & prærogativas ipſorum antiquas conſervent,* & ab iis, quorum intereſt conſervari curent, nec ipſis, aut eorum alicui præmiſſorum omnium nomine, negotium, aut moleſtiam ullo unquam tempore faceſſant, *contributiones, ſtationes, vel alias quasvis extraordinarias prætenſiones, ſive etiam collectas abſque ipſorum peculiari conſenſu circà ipſos ſtatuere, multò minùs imperare, aut exigere per ſuos Executores ſinant, nec eorum quemquam extrà juriſdictionem propriam, ſibique competentem literis univerſalibus, & citationibus evocari, ac protrahi patiantur;* Verùm præfatum Reverendiſſimum D. Epiſcopum, ejuſque Succeſſores unà cum ſuo Capitulo, ac Subditis, necnon Vaſſallis omnibus *antiquis ſuis juribus, immunitatibus, prærogativis, aliis quibusque Regalibus, ipſum, Capitulumque ipſius ex antiquo concernen. pacificè & quietè gaudere, & uſu frui permittant,* & ut id alii faciant pro debito officii ſui diligenter curent; *Quidquid enim contra jura, & Privilegia eorum attentatum*

E

F

Itemta declaratio liberi regiminis, & jurisdictionis, qua Varmiæ Epiſcopalis Prouincia ab antiquo potitur.

tatum fuerit, id irritum, & inane foret. In cujus rei fidem, præsentes manu nostra subscriptas, sigillo Regni obsignari jussimus. Datum Varsaviæ die XVI. mensis Iulii Anno Domini MDCXXIV. Regnorum nostrorum Poloniæ XXII. Sueciæ verò XXI.

SIGISMVNDVS REX.

Jacobus Zadzik Secretarius.

(Locus Sigilli appensi)

G Exhibita sunt in Actis Secret. Consistorialis. Alia Succesorum Poloniæ, Regum Diplomata, pariter ampla quibus comprobantur, & confirmantur Privilegia inveteratæ libertatis Ecclesiæ Varmien. atque speciatim recentiori data 16. Maii anni 1670. Regis Michaëlis Chirographum, sigillo Cancellariæ Regni subsignatum, quo exprimitur Capitulum Varmiense *Iure Concordatorum Germaniæ* habere collationes vacantium in ea Cathedrali Canonicatuum, alternis cum Sancta Sede Apostolica mensibus.

H *Pacta super electionibus Episcoporum inita inter Poloniæ Reges, & Capitulum Varmien. firma, salua, & integra permanere velle declarat, & pollicetur Serenissimus Augustus feliciter modernus Poloniæ Rex.*

AVGVSTVS II. Dei gratia Rex Poloniæ &c., necnon Hæreditarius Dux Saxoniæ, & Princeps Elector.

Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest universis, & singulis, quod cùm Reu. P. Andreas Episcopus Varmien. post emensos 63. ætatis annos, Dignitati ministerii Regni Cancellariatus Supremi, cum cura Episcopali, quæ totum occupare deberet, sufficere se nullatenus posse Nobis exposuerit, ideoque præuiâ maturâ deliberatione in animum induxerit ad regimen, & administrationem Ecclesiæ, & Episcopatus sui Coadjutore opus habere &c. Nos ne intentioni, & necessario ipsius desiderio ampliùs, quàm par est refragari

fragari videamur &c. noſtra Regia accedente voluntate, & permiſſione conſentimus. Quamuis verò hæc Coadiutoris aſſumptio de noſtro, & Venerabilis Capituli Varmien. conſenſu facta, pactis, quæ Nobis cum ipſo Capitulo ſuper Epiſcoporum electionibus intercedunt nequaquam contrarietur; Tamen ſiquidem id à quibuſdam in dubium verti poſſet, præſentibus declaramus, cauemus, atque ſtatuimus hanc Coadiutoris aſſumptionem, ac illi connexam ſuccedendi facultatem, futuris electionibus, & pactis propterea initis præiudicare, aut interruptionis, ſeu diſceſſionis prætextum aliquem afferre non debere, nec poſſe; quin ipſa pacta, prout ultrò citroque ſuſcepta, & ſigillata ſunt, in ſua firmitate integra, ſalua, atque inconvulſa permaneant ſemper. Quod Nos pro Nobis, & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris ita obſeruaturos pollicemur per præſentes Literas noſtras, quibus in fidem præmiſſorum manu noſtra ſubſcriptis ſigillum apponi juſſimus. Dat. Gedani die 6. Decembris Anno 1710. Regni verò noſtri 14.

AVGVSTVS REX.

Joan: Chryſoſt. Rogalli Prothonotarius Apoſt. Varſav. Canonicus, Regiæ Majeſtatis, & ſigilli maj. Regni Secret.

(Locus Sigilli).

Particulæ extractæ ex Relationibus exiſtentibus in Archivo Sacræ Congregationis Concilij, ſuper ſtatu Eccleſiæ Varmien., quas ex Conſtitutione ſan. mem. Sixti V. Papæ tenetur quisque Epiſcopus edere in Viſitatione Sacrorum Liminum.

Num. 14. *Ex Relatione Reu. P. D. Petri Tilicki*

Ante annos 80. creato Alberto Marchione Brandeburgen. Ordinis Theutonici Magiſtro in Pruſſia &c.

Episcopi Varmien. & simul Regni Poloniæ Pro-Cancellarij in Archiuo Sac. Congreg. Concilij anno 1601 libro signato lit. V. fol. 159.

pace postmodùm (cum Sigismundo Poloniæ Rege) constituta, Ordo, & Crucigeri (Theutonici) omnes amoti è Prussia, ipsaque Prouincia iis finibus, quibus olim à Magistris (Theutonicis) possidebatur, Alberto Marchioni &c. jure feudi concessa à Rege &c., qui Marchio titulum Ducalem, feudique ius (in Prussia) assequutus, professione voto, & habitu Crucirifico (Theutonico) abjecto, Religionem quoque abjecit Catholicam &c. mox Episcopatus duos in Ditione illa sibi subjecta Pomesanien., & Sambien. sustulit, & Bona eorum ampliſſima Fisco suo adjunxit, portione eorum aliqua, Apostatæ Episcopo Pomesaniæ in perpetuum concessa.

Num. 15.
Ex Relatione R.P.D. Simonis Rudnicki Episcopi Varmien. præsentata anno 1610. fol. 151.

Cùm olim ab Ethnicis, Idolorumque Cultoribus Prussia universa incoleretur, iidemque non contenti vanis, & abominandis suis superstitionibus, vicinos Christianos continuis Bellorum agitationibus sæuissimè affligerent, & in servitutem premerent intolerabilem *Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ autboritate mediante, expeditio generalis ab iis, qui Cruce signati dicebantur contra Pruthenos susceptа est.* Prælіatum utrinque fuit ancipiti sæpè pugna, quinquaginta tribus, & amplius annis, donec tandem singulari Dei benignitate Idololatris partim cæsis, partim sedibus suis pulsis, nonnullis etiam ad meliorem mentem redactis, & in fidem Christi conversis, *Prussia in potestatem Fidelium, atque adeò Summi Pontificis redigeretur.* Quo facto sub annum Domini 1243 eò missus est ab Innocentio Papa ejus nominis IV. Vilhelmus Mutinensis primùm, postea verò Sabinensis Episcopus (ac demum Papa Alexander IV.) cum potestate Legati de Latere, qui totam Prouinciam

A
Sacrum bellum Crucigerorum Pontificia auctoritate conflatum contra Prussos Ethnicos.

B
Diuisio, Terrarum Prussiæ ab Infidelibus ereptarum,

uinciam hanc in tres partes diuiſam, duas Ordini (Theutonico) Crucigerorum conſignauit, tertiam verò tribus Diœceſibus Varmienſi, Sambienſi, & Pomeſanienſi, certis conſtitutis terminis diſtinctam, addixit, Cathedralesque in iis Baſilicas cum Epiſcopis ſuis ordinauit, ac Collegia inſtituit, quæ ſubſequentibus temporibus (per ſubſecutam Apoſtaſiam Pruſſiæ) in Archipresbyteratus, ac Parochias degenerarunt. Eam diuiſionem Pontifex præmemoratus authoritate ſua Apoſtolica confirmauit, gratamque ſemper ratam, atque acceptam in omnibus ſuis punctis, & clauſulis habuit.

& erectio Eccleſiarum.

Porrò ad Varmienſem Epiſcopatum, quod attinet, habet is Matricem Baſilicam unicam; Primò quidem ab Anſelmo Epiſcopo Brunsbergæ anno 1261. conditam, à quo etiam Oppido Braunsbergenſes Epiſcopi appellari conſueuerant, poſtmodùm verò ob varias, & rationabiles cauſas ab Henrico prædicti Anſelmi Succeſſore, & Epiſcopo ſecundo, Varmiam, ſiuè Frauenburgum translatam, locoque optimo conſpicuo, & eminenti ad littus recentis Maris vulgò Haff dicti, opere lateritio è fundamentis, ſumpto magnifico extructam, amplam, & ſpatioſam, necnon muro ſolido, & propugnaculis ob periculum adiacentis ſinus circumcircà communitam, atque ſive ad exteriorem, ſive ad interiorem ejus faciem oculos conjicias, inter alias præcipuas Europæ Baſilicas non poſtremam.

Eccleſia Cathedralis Varmiæ ſita in Balthici ſinus Promontorio.

Cathedralis hæc fundata eſt ſufficienter, Sedis Apoſtolicæ confirmatione mediante, in fundis Epiſcopatui attributis; *ita ut duas partes Epiſcopus habeat, tertia verò certis limitibus ab Epiſcopalibus Bonis diſtincta, Capitulo pro ſexdecim inibi Prabendarijs, ſeu*

C *Eccleſia Varmien. gaudet beneficio Concordatorum Germaniæ.*

Canonicis inſtituendis, ceſſerit, quos creandi penes Summos Pontifices poteſtas eſt, eligendi verò facultas alternis menſibus vigore Concordatorum Germanicæ Nationis, quibus Eccleſia hæc gaudet, apud Collegium, & Epiſcopum conjunctim manet, qui etſi vigore Diplomatis Cæſareæ Majeſtatis, princeps Imperij habebatur, in ſuffragijs tamen ferendis Canonico ſuperior non eſt, ſed unico dumtaxat voto contentus eſſe debet &c.

Cæteri Prælati, Decanus, Cuſtos, Cantor in Capitulo locum, & ſuffragium non habent, niſi etiam ſimul Canonici exiſtant &c.

D *Statuta & jura Eccleſiæ Varmien. auctoritate Cardinalis Comendoni Legati de Latere Sancti Pontificis Pii V. approbata ſunt.*

Statuta ſua propria habent Canonibus Concilij Tridentini apprimè conſentanea, *necnon ab illuſtriſſimo olim Ioanne Franciſco Cardinali Commendono Pii V. in Germaniam, & Poloniam, de latere Legato ad inſtantiam Illuſtriſſimi piæ memoriæ Cardinalis Hoſij accuratè anno 1572. reviſa, recognita, & approbata*, atque poſtmodùm ab Anteceſſoribus meis pro temporum occaſione multiplicata, & aucta &c.

E *Eccleſia Varmien. in temporalibus ac in ſpiritualibus ſoli ſubeſt Sanctæ Sedi Apoſtolicæ.*

Verùm hæc de Eccleſijs Epiſcopatus hujus pro tempore dicta ſufficiant, quæ non attento, *quod tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus ſolis Summis Pontificibus ſubjaceant*, à trecentis tamen fermè annis propria Diuini Officij tam recitandi, quàm pſallendi formula uſæ fuerunt, adeoque, ut nec rationibus, nec prece ab Anteceſſoribus meis, potiſſimùm verò piæ memoriæ Card. Hoſio Ampliſſimo, & Zeloſiſſimo, adduci potuerint, ut cui ſoli ſubeſſent, & à qua fidei fundamentum habent, ab eadem etiam Eccleſiæ Ritum, & modum laudes Deo dicendi, & decantandi, acciperent; Singulari tamen Dei benignitate, qui corda hominum in manu ſua habet, & movet, quocumque vult, ad ſedulam inſtantiam

ſtantiam, atque ſolicitudinem meam, ante triennium circiter effectum eſt, ut quæ antea impoſſibilia toti Clero hujus Epiſcopatus viderentur, poſſibilia tandem fierent; Quique à communione illa uni Deo, una eademque formula preces, & laudes exhibendi diſſimili officio diſcreparent, nunc ad Romanam orandi, & pſallendi regulam adducti, uno ore, unum Deum, qui in Cœlis eſt, glorificare non intermittant &c.

F

Præter Seminarium Diœceſanum eſt etiam *alumnatus, munificentia, & gratia Summorum Pontificum pro Nationis Germanicæ Hominibus inſtitutus &c.*

Alumnatus Pontificiæ fundationis pro Incolis Germaniæ.

Sumpta hæc ſunt ex ſupradicta Relatione anni 1610. *in Archiuo Sac. Congregationis. Concilij Lib. ſignato lit. V. fol.* 151.

Num. 16.

Eccleſia Varmien. ſub Innocentio IV. fundata ab incunabulis ſuis non emendicato priuilegio, ſed fundationis Iure à Metropolitanorum poteſtate immunis in hunc uſque diem in ſinu Sanctæ Sedis conquieſcit. Illuſtrem fecêre magna nomina &c., & plurium S. R. E. Cardinalium, atque duorum à Regio ſanguine Principum, ut cæterorum laus ſilentio inuoluatur, & gaudebat olim ampliſſimo Patrimonio, donec ante ducentos, & ampliùs annos, ſexies mille manſis, qui Bartenſteinenſi, & Natangiæ Terris continebantur, ſpoliata fuiſſet. Quo ſacrilegio, & continuis bello, & pace injuriis, ab ordine Crucigerorum vexata & oppreſſa in fidem, & patrocinium Caſimiri Regis Poloniæ, Succeſſorum ejus tandem conceſſit, quorum potentia, & virtute Ditiones quidem ſuas reliquas ſartas, tectas conſeruauit; Verùm Alberto Brandeburgico, ultimo Teuthonici Ordinis in Pruſſia Magiſtro, ab

Ex Relatione tranſmiſſa à R. P. D. Venceslao Comite de Leſno Epiſcopo Varmien. anno 1658. qui poſteaaßumptus fuit ad Primitialem Dignitatem Regni Poloniæ.

ab Eccleſia Romana deſciſcente, omnium Eccleſiarum, quæ in Ditione ejuſdem Ordinis Epiſcopo Varmien. in ſpiritualibus parebant, jacturam fecit.

A *Nicolaus Copernicus celebris fama Canonicus Varmien.*

Collegium Cathedrale Fraumburgi ad Mare recens in edito Colle ſitum, Virorum pietate, ac doctrina præſtantium ab omni memoria ferax (& vel unius Copernici immortalis gloria celebre) ſex ſupra decem Canonicis conſtat, & Prælatis quatuor, Præpoſito videlicet, Decano, Cuſtode, & Cantore. Quorum ſi quis unà Canonicatum non obtinet, nec vocem in capitulo habet, nec fructum, qui in commune ex Bonis Capituli colliguntur, & ſtatis temporibus inter Canonicos pro rata reſidentiæ diuidi ſolent, particeps eſt; Omnia verò hæc Sacerdotia cum Præfecturis, excepta Præpoſiti Dignitate (quam Leo X. Regibus Poloniæ permiſit) *alternis menſibus, nunc Sanctæ Sedis Apoſtolicæ collationi, nunc Capitulari obnoxia ſunt electioni*, in qua Epiſcopus uno tantùm ſuffragio gaudet. Pro utilitate Eccleſiæ, & Reuerendiſs. D. Epiſcopi adjumento ad exemplum anteà & proximè uſurpatum, conceſſit Sanctitatis Veſtræ glorioſæ memoriæ Anteceſſor Innocentius Papa X. Suffraganeum, cujus munus nunc Perillustris D. Albertus Pilchouicz I. V. D. Epiſcopi Hipponen. titulo inſignitus ſingulari pietate, & multo rerum uſu quæſita prudentia obit &c.

B

Num. 17. *Ex Relatione ſtatus Diœceſis Varmien. tranſmiſſa à Reu. P. D. Ni-*

Pruſſi antequam Euangelii manſuetudinem induiſſent, gens ferox, & barbara, cùm longè viribus ſuperiores eſſent Crucigeris, quos Chriſtianorum præſidio accitos Conradus Maſouiorum Dux in Terra Culmenſi collocauerat. Sacrum Bellum

Sancta

Sancta Sedes rogatu Ducis, contra eos indixit: Quo factum, ut maxima Germanorum, & Polonorum, cæterarumque Nationum auxilia confluerent, quorum numerum, ac vires immortali gloriâ digni Poloni Principes, cum Conrado Masouiorum Duce in primis auxerunt. Hi cum Hermanno Balke Ordinis Theutonici Magistro ad fines Barbarorum progressi Vistula flumine superato, ingens cum Barbaris prælium committunt. Tota die pari utrinque animorum constantiâ pugnatum, verùm appetente nocte multa millia se amisisse Prussi animadvertentes, dum fugâ consulere sibi cupiunt, à Suantopelco Pomeranorum Duce, ad internecionem deleti sunt. Partâ victoriâ, cùm Exercitus Principum, longè, latèque ferro, ac igne per Prussiam grassaretur pax tandem confecta est ea lege, ut Prutheni deinceps Principum Tributarii, ac Theutonicis Fratribus subditi essent, ab ipsisque in Christiana fide se instrui paterentur. Eaque gratia Principes Sanctæ Sedi Prussiæ Terras obtulerunt. Itaque Innocentius Quartus præmissis Viris pietate, & doctrina præstantibus, qui Vexillum Christi in Prussiam inferrent, posteaquam multi Pruthenorum veri Dei cognitione imbuti erant, anno demum 1243. per Legatum Vilhelmum Mutinensem Episcopum, Crucigeris (Theutonicis) propter onera belli, ac defensionis, duas partes Terrarum Prussiæ, de Paganis subactarum addixit, in tertia Episcopatum Varmiensem, Sambiensem, & Pomesaniensem ità fundavit, ut nihilominùs etiam in Ditiobus Crucigerorum jus, & authoritas spiritualis Episcoporum intrà fines, cujuscumque Diœceseos

colao Szyskowski Episcopo Varmien. anno 1640.

A *Ecclesia Varmien. fundata Summi Pontificis beneficentia.*

obtineret. *Liberalitate igitur Sanctæ Sedis Ecclesia Varmiensis erecta, exemptionis privilegio ornata fuit, & jam inde ab origine, usque ad hodiernum diem in fide & immediato patrocinio illius conquievit.* Neque Crucigeris neque Romanorum Imperatoribus paruit unquam: Etiamsi hi quodam tempore in Episcopos &c. nescitur, quam jurisdictionem usurparint, & Episcopum Varmiensem Principibus Imperii Romani adscripserint.

B *Jus liberæ electionis Sedes Apostolica Capitulo Varmien. indulsit.*

Jus Episcopum creandi initio penes Sanctam Sedem tantùm, deinde Collegio Canonicorum, cum libertate electionis, nulli discrimini generis, ortus, & Nationum adstrictæ, citrà tamen ullam derogationem Supremæ Pontificiæ potestatis, communicatum fuit. Sed Nicolaus à Tungen Episcopus unà cum Capitulo adversùs Casimirum Regem Poloniæ ejus nominis Tertium, Crucigerorum partes infeliciter sequuti, cùm anguſtias, in quas bello redacti erant, evadere aliter non possent, se se atque sua omnia in fidem & potestatem Regis, Regnique Poloniæ dederunt, Rege nominatim paciscente ut nonnisi gratus ipsi, & jurejurando obstrictus Episcopus eligeretur. Ab eoque tempore Varmienses Antistites in Senatum Regni cooptati, in consilio Terrarum Prussiæ Principem locum tenent. *Ad extremum sub Sigismundo Primo convenit, ut Rex quatuor Candidatos indigenas, è gremio Capituli nominet, de quibus Capitulum unum eligat, & cum Rege, Sanctæ Sedi commendet confirmandum.* Quamquam ab annis propè octoginta, externi quoque in Candidatis nominantur &c.

C *Pactiones cũ Sereniß. Poloniæ Regibus ratione electionis Episcoporum Varmiensium.*

Primus autem Episcopus factus est Anselmus, Ordinis Crucigerorum, sub quo certis limitibus Episco-

piſcopatus ità circumſcriptus, ut Cruciferorum (Theutonicorum) fermè Ditione undique cingeretur. Neque tamen fines perpetui manſerunt, cum antè ducentos annos Barthena Terra, & Nathangia, Epiſcopi Varmien. juriſdictioni ſpirituali, & temporali ſubjectæ, cum ſex millibus, & ampliùs manſorum, injuria Crucigerorum Epiſcopatui detractæ ſunt.

Porrò, ſedem, & domicilium Anſelmus Brunsbergæ (quod Oppidum à Brunone Olomucen. Epiſcopo Sacræ Militiæ Socio, ſub illud ipſum tempus conditum erat) collocavit, Parochiis jam anteà quibuſdam alibi conſtitutis: Templum, ſiuè Matricem Eccleſiam, rudi humilique opere, poſt Chriſtum natum anno 1260. conſtructam, S. Andreæ Apoſtolo dedicavit, & in ea ſexdecim Canonicos, quatuor Prælatos inſtituit. Aliquando verò poſt, Henrici nimirum ſecundi Epiſcopi tempore, Matrix Eccleſia cum Sacro Collegio, & Cathedra Fraumburgum, ſeu veriùs in Collem, Fraumburgo Oppido poſteriùs condito, & Haffo, ſeu recenti Mari impendentem translata eſt manetque Colli ſimul, & Oppido nomen, ex eo quod Baſilica Virgini Matri (quam Dominam vocari non inuſitatum Germanis) nomine conſecrata eſt; vel ut alijs placet, à Matrona ſivè Dominatrice impoſitum fuit. Operis magnificentia uni, & alteri tantùm Eccleſiæ tota Pruſſia cedit, reliquas facile ſuperat, altaribus, Tabulis, atque Picturis eximijs, Muſico Organo, & varijs ornamentis ad famam celebris antequam à Guſtavo (Suecorum Rege) ſpoliaretur. Intra mænia, quibus cingitur ſunt Epiſcopalis, & aliquod Canonicorum, aliorumque

Miniſtrorum Eccleſiæ Domus: Cæteræ foris in patentibus Campis, quæ curiæ vocantur. In hoc Templo, duo Sacra ſingulis diebus cantanda, antiquitùs inſtituta ſunt &c. His accedunt Miſſæ privatæ, quæ ex fundatione piorum hominum ad Altaria Templi à Vicarijs celebrantur &c. Conciones Sacræ omnibus Dominicis, & celebribus ad Populum Feſtis diebus, habentur *lingva Germanica, quæ Incolis Oppidi, imò totius Epiſcopatus materna eſt.* Fiunt præterea non pauca Anniverſaria Sacra &c. *Collegium porrò hoc Cathedrale* (quod Capitulum vulgò vocatur) *eſt concilium Epiſcopi Cuſtodes juris Epiſcopalis, Protectores Eccleſiæ, & Subditorum ejus.* Fuerunt quodam tempore Canonici viginti quatuor, novis præbendis octo, à poſterioribus Epiſcopis poſt Anſelmum inſtitutis; Præbendæ autem partim majores, partim minores, partim mediæ vocabantur; Verùm eæ omnes ad ſexdecim, Pontificum Maximorum authoritate redactæ ſunt, ut Anſelmus inſtituerat. His tamen quodam tempore ex communi Epiſcopi, & Capituli decreto, adjuncta eſt decimaſeptima Præbenda S. Andreæ nomine, cujus corpus quotannis ad utilitatem & neceſſitatem urgentem Eccleſiæ, & Capituli aſſervatur. *Electio Canonicorum, quemadmodum & Prælatorum* (excepto Præpoſito, quem Rex præſentat) *communis eſt Capitulo cum Epiſcopo, alternos tamen menſes Sancta Sedes habet &c.* Convenit Collegium, ſivè Capitulum è præſcripto Statuti quolibet menſe ſemel. Extrà ordinem verò quoties opus eſt, convocatum à Præſidente, *Leges, & Statuta, quibus vivit ab Eminentiſſimo olim, & Reverendiſſimo D. Cardinali Commendono Legato Apoſtolico*

D *Varmienſis Regionis lingua vernacula eſt Germanica.*

E *Capitulum Varmien. ex norma Statutorum ejus Eccleſiæ potitur jurisdictione temporali aquè principaliter cum ſuo Epiſcopo Principe.*

F *Et confert vacantes Canonicatus alternis cum Sede Apoſtolica menſibus juxta concordata Germaniæ.*

G *Statuta Eccleſiæ confir-*

lico recenſa, confirmataque ſunt. Illud ſummo jure, & magno Eccleſiæ bono ſervatur, quòd Canonici penes Eccleſiam non reſidentes, reditus non participant. Alioquin enim Baſilica hæc, tanquam loco ab hominum celebritate remoto ſita (ut noſtri mores ferunt) pridem deſerta fuiſſet. Nunc præter unicum omnes reſident.

mauit Cardinalis Cõmendonus Legatus Sanctæ Sedis.

Præter Prælatos, & Canonicos eſt aliud genus Sacerdotum circa Baſilicam, qui Vicarij vocantur, eò quòd Prælatorum, & Canonicorum vices in miniſterijs Divinis obeunt &c.

Num. 18. *Ex Relatione R. P. D. Io: Stephani Wyzga Epiſcopi Varmien. ſimulque Supremi Cancellarij Poloniæ præſentata anno 1604.*

A primæua fundatione hæc Eccleſia Varmien. *ſoli Sanctæ Sedi Apoſtolicæ eſt ſubjecta nullius agnoſcens ſuperioritatem* præter ejuſdem Apoſtolicæ Sedis juriſdictionem. *Dicta relat. pag.* 1.

Populus (Varmien.) Colonijs ex Germania olim deductis originem ducens, majori ex parte Authorum ſuorum legibus, inſtitutis, moribus, & lingva utitur. In fide Catholica Romana conſtanter manet tum Epiſcoporum vigilantia, tum ſanctione legum, quibus cautum eſt, ne cui Hæreticorum jure domicilij, tanto minùs Civitatis aut Ordinis, aut Collegij cujuspiam in Epiſcopatu frui liceat. *Ibidem pag. 9.*

A *Incolæ Varmienſes origine ſunt Germani.*

Vt primam regimini hujus Epiſcopatus Varmienſis, admotus fui omne ſtudium meum in hoc poſui, ut & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ expectationi, & muneri meo Paſtorali quantum in Domino licuit, reſponderem &c. Vnde ad munia Paſtoralia, & Viſitationem generalem Diœceſis, incipiendo ab ipſa Eccleſia Cathedrali, progreſſus, hanc ipſius effigiem genuinis coloribus, qua potui breuitate, à me elaboratam, pedibus Sanctitatis Veſtræ per In-

Num. 19. *Ex Relatione R. P. D. Andreæ C. Zaluski Epiſcopi Varmien., & eodem tempore Supremi Cancellarij Regni Poloniæ.*

ternuntium meum D. Abbatem Fantoni Canonicum Ecclesiæ meæ Cathedralis venerabundus substerno &c.

A *Ecclesia Cathedralis situ, & structura insignis, Arcis instar undiq; munita.*

Ecclesia ad sinum Maris Balthici Haff, seu recens Mare vulgò dictum, *in alto Colle*, intra Castrum Dominæ Nostræ, sub titulo, & patrocinio B. Virginis Mariæ primitus fundatum sita, veteris quidem, sed elegantis structuræ, non postrema inter insignes alias Cathedrales Ecclesias reputatur. Præter Terras minores ad cornua Ecclesiæ ascendentes, una est elevatior in medio tecti Ecclesiæ Cancellis circumdata, ubi Campanæ sunt Horologij; Campanile cum suis Campanis sub anno 1655. erectum, inferius sexangulum, deinceps in quadrangulam formam exurgit competentis altitudinis benè correspondens ipsi Ecclesiæ.

In Castro, uti insinuatum, est posita Ecclesia circumcirca muris vallata, circa muros præter Curias Canonicales, & bina Ædificia pro Vicariis Ecclesiæ unum vetustum quidem, commodum tamen, alterum ante annos circiter sex magna ex parte reædificatum, Curia est Episcopalis, non procul ab Ecclesia dissita satis ampla, ex coctis lateribus ædificata veteris formæ. Indè non procul distans est locus Capitularis, accessum habens ex ipsa Ecclesia. Super ipsum Conclaue Capitulare Bibliotheca Ecclesiæ, & Capituli reposita est, cui non inelegantes libri accesserunt, post mortem Antecessoris mei.

Extrà Castrum in ipso Colle Ecclesiam intermediam, muro, & fossa à tribus partibus distinctæ ambiunt aliæ Curiæ Canonicales pro Canonicis, satis commodæ, & honestæ. Infrà collem Sedem Ecclesiæ, & Cano-

& Canonicorum, ſitum eſt Oppidum Frauenburgum dictum, juriſdictionis Capitularis.

Nondum quinque tranſierunt ſæcula, ex quo anno 1244. erepta ab Infidelibus Pruthenis, *auxilio, & opera Summi Pontificis, ac Chriſtianorum Principum*, adſtipulante, & conſentiente Conrado Duce, Maſouiæ, qui vel juris ſui Pruſſiam prætendebat, vel moleſtam ipſius viciniam ferre ultrà non poterat, per arma Fratrum Crucigerorum Ordinis Theutonici erepta, ac in tres partes, ſeu Epiſcopatus, utpotè Pomeſanienſem, Sambienſem, & Varmienſem diuiſa, & duabus partibus taliter conuerſæ Pruſſiæ in Sambienſi, & Pomeſanienſi Epiſcopatibus Ordini Crucigerorum attributa, in quibus de eodem Ordine, & Epiſcopi, & Canonici ad utrumque Epiſcopatum & Eccleſiam aſſumebantur.

B

Legatus Sedis Apoſtolicæ aſſignat pro fundatione Epiſcopatus Varmien tertiam partem Terrarũ Pruſſiæ ab Infidelium jugo ejusdem Sanctæ Sedis ope liberata.

Tertia in medio Sambienſis, & Pomeſanienſis Epiſcopatuum poſita ex mandato Sanctæ Sedis Apoſtolicæ per Vilhelmum Mutinenſem Epiſcopum ejuſdem Sedis Apoſtolicæ Nuncium pro Clericis Sæcularibus authoritate Romanæ Eccleſiæ (cui ab illo uſque tempore immediatè ſemper ſubjecta fuit, & eſt) ceſſerat Anſelmo Epiſcopo primo Varmienſi, qui & Epiſcopus Pruſſiæ dicebatur, quique deinceps Collegium Canonicorum in Præbendis ſedecim primo Brunbergæ fundavit, nec multò pòſt Frauenburgum tranſtulit. Poſt factam verò Diœceſium diviſionem idem Anſelmus de manibus Vilhelmi Nuncii Apoſtolici, *Temporalia quæ ipſi Epiſcopo jure Epiſcopatus competebant; nomine Pontificis, & Romanæ Eccleſiæ accepit, uti formalia* ſonant ipſius Breuis Apoſtolici Innocentii IV. Papæ.

Et quia

C *Varmia primiter reputabatur existere in Terris Romani Imperij.*

Et quia Varmia pro tunc censebatur de Corpore Romani Imperii, ideò Carolus IV. Imperator sub anno 1357. ejusdem Ecclesiæ Varmiensis omnia, & singula Privilegia & Literas, quæ super juribus, libertatibus, jurisdictionibus altis, & bassis &c. eidem Ecclesiæ Varmien. quomodolibet erant connexa & adnexa & concessa, speciali suo Diplomate sub aurea Bulla approbavit, quæ in Archiuo Capituli servatur.

Omnia hæc tam à Sede Apostolica, quàm ipsis Imperatoribus obtenta pro Ecclesia Varmiensi Priuilegia, & Immunitates &c., deindè Sigismundus Poloniæ Rex anno 1505. confirmavit, de quo in præfato Archiuo ipsa loquuntur originalia.

D *Graves controversiæ inter Magistros Ordinis Theuthonici, & Episcopos ratione finium Regendorum.*

Intercedentibus deinceps inter Fratres Crucigeros, & Episcopos Varmienses, ratione finium Episcopatus Varmiensis, acribus, & molestissimis litigiis tam coram Summis Pontificibus, quàm Imperatoribus etiam cum discrimine vitæ ipsorum Episcoporum, à Crucigeris impetitæ, multo tempore agitatis, ac obtentis eo nomine in fauorem Ecclesiæ multiplicibus Decretis, obsistente Crucigerorum contumaciâ, eorundemque ipsis Regibus Poloniæ inuisâ & periculosâ potentiâ, Sopitæ tandem fuerunt eædem controuersiæ per Arbitros Partium, ita tamen quod astu Crucigerorum Episcopatui abrepta manserint sex millia mansorum sub Henrico Sorbohm Episcopo; Facta tamen propter quietem Episcopi, & Capituli ab Arbitris dislimitatio, sub anno 1354. authoritate Apostolica fuit, & est roborata.

Et exindè patet, qualiter à principio usque nascentis Ecclesiæ Varmiensis (quæ in medio Ditionum Cruci-

Crucigerorum, nunc verò hæreticarum, tanquam roſa inter ſpinas ſita eſt, ex quo tertiæ partis ejuſdemque melioris electio arbitrio Epiſcopi Varmienſis fuerat relicta) ſemper inuiſam, inimicam & periculoſam habuerit viciniam; Quantum enim eidem non deceſſit? Vnde factum, quòd Epiſcopi cum Capitulo conſtricti tandem fuerunt recurrere *ſub protectionem Regum Poloniæ ſaluis tamen Juribus ſuis &c.* ſecutæ deinceps fuerunt Ciuitates, & tota quanta; quæ nunc Regiæ Ditionis eſt, Pruſſia; uti videre eſt in pactis publicis &c.

Nec minora in ipſo fine dominii Crucigerorum incurrerat pericula Varmia &c.

Fluctuabat igitur ſæpiùs, attamen ſub protectione Pontificum, Imperatorum, & Regum utcumque ſeſe tutabatur Varmia &c.

E

Criſes ac frequentiores mutationes Epiſcopatus Varmienſis, obiter tantùm attingo, ut Sanctitas Veſtra perpendere dignetur, quibus in periculis, & verſabatur antea, & etiamnum nunc verſetur hæc portiuncula Ditionis Eccleſiaſticæ ad Mare Balthicum inter Septemtrionales plagas unica, quæ Sanctæ Sedi fideliter ſemper fuit, & eſt deuotè ſubjecta, tanta cura, ac ſollicitudine tam Summorum Pontificum, Imperatorum, ac Regum Poloniæ, quàm Epiſcoporum, & Capituli hucuſque defenſa à circumuicina (nunquam ſatis fida) potentia &c.

Diſcrimina, quæ ſunt Varmiæ finitima.

F

Cæterùm ab hujus Eccleſiæ fundationis tempore uſque ad infra dicendum tempus Concordatorum inter Sedem Apoſtolicam, & Nationem Germanicam, *Capitulum, & Canonici fuerunt in poſſeſſione, ſeu quaſi pacifica, & quieta luris eligendi perſonam in Epiſcopum Varmienſem, & obtinendi confirmationem electionis*

Jus eligendi Epiſcopum, & conferendi Canonicatum Eccleſiæ Varmien. primitùs competebat

Capitulo ex lege fundationis, & Indulto Apostolico.

ctionis à Sede prædicta, & Episcopus unà cum Capitulo fuit in possessione iuris disponendi de Dignitatibus, Canonicatibus, & Prebendis dictæ Ecclesiæ Varmiensis, jure fundationis, dotationis, & approbationis dicti Papæ Innocentij uti præfertur.

G

Postea idem jus liberæ electionis continuatum fuit cumulato titulo Concordatorum Germaniæ.

Deinde anno 1447. supervenientibus *dictis Concordatis Germanicæ Nationis, Franciscus pro tunc Episcopus, tanquam Germanicæ, seu Alemanicæ Nationis, dicta concordata acceptavit,* & ab eo tempore usque in præsens Episcopus, & Capitulum prædicti liberè disposuerunt in alternativis mensibus de Præbendis Canonicalibus, & Dignitatibus &c.

Capitulum quoque, & Canonici prædicti liberè eligebant pro tempore personam in Episcopum Varmiensem, & confirmationem electionis à Sede Apostolica obtinebant *jure Concordatorum prædictorum*, non obstante, quòd Nicolaus à Tungen jure Concordatorum per Capitulum electus, & per Sedem Apostolicam confirmatus, & in possessione sui Episcopatus existens, ac vi armata per olim Casimirum Regem Poloniæ expulsus &c., tandem certa pacta in præjudicium Sedis Apostolicæ, renuente Capitulo, cum eodem Rege Casimiro transegerit anno 1479., quæ per fel. rec. Innocentium Papam VIII. prævia consistoriali cognitione circa electionem Lucæ Episcopi Successoris, pro irritis declarata fuerunt: quod ipsum præstitit piæ rec. Iulius II. Papa de anno 1512. ante obitum dicti Lucæ Episcopi libertates, & prærogativas Capituli contra quascumque subjectiones per Literas suas speciales restaurando, & innovando, referente bo. mem. Marco Episcopo Prænestino Cardinali S. Marci, prout ex epistola ejusdem Cardinalis

H

Pacta inter Regem Casimirum & Nicolaum Episcopum Varmien. à Sede Apostolica improbata, & cassata fuerunt.

ad

ad præfatum Regem directa patet, ſub die 15. Septembris anno 1489. Non obſtante quoque, quòd poſt mortem Lucæ Fabianus Epiſcopus confirmatus, & conſecratus, cum octo Canonicis tunc apud Eccleſiam reſidentibus; cæteris octo abſentibus; Pacta quædam cum fel. mem. Sigiſmundo Rege ſub anno 1512. iniuerit, *de quatuor perſonis in caſum vacantis Epiſcopatus nominandis &c.*, quod ad hæc uſque tempora ſervatur. Vnde confirmatio ab electo, vel poſtulato Epiſcopo, non ex nominatione Regia, ſed ex electione, vel poſtulatione Capituli &c. à Sancta Sede ſecundùm vetera Eccleſiæ jura peti debere, Sacra Congregatio Conſiſtorialis Decreto anni 1698. definivit.

Et hæc quidem quantum ad exteriorem formam ipſius Eccleſiæ, tum fundationem, originem, progreſſum, mutationes, & modernum ſtatum, ac jura ejuſdem inſinuaſſe ſufficiat.

Conſervationem ipſius, cultumque, & ordinem divinorum, quod attinet? hæc omnia uti in alia quacumque Eccleſia, ità penes hancce Cathedralem Varmienſem unicè, ac præcipuè dependet à continua reſidentia Canonicorum. Vndequaque enim hæc Diœceſis intercluſa, & circumſepta eſt confinio Hæreticorum, ita ut ne aditus quidem ad eandem pateat, niſi per Ditiones eorundem; continua tamen vigilantia Epiſcoporum, & Canonicorum cooperatione factum eſt, quòd Varmia à primæua ſui origine (in medio ſituata duorum ſæcularizatorum Epiſcopatuum Sambienſis, & Pomeſanienſis) nunquam à vera Religione, & fide Catholica deflexerit &c.

I

Inter duos contiguos Epiſcopatus in hæreſim prolapſos, ſolus Varmien. vigilanti Epiſcoporum, & Canonicorum cura perennat in Romana Catholica Fide.

Stringuntur verò omninò Canonici ad perſonalem

Methodus distributionum Canonicalium in Ecclesia Varmien. fit ratione diuersa ab Ecclesiis Poloniæ, unde plenius seruitium ejusdem Varmien. Ecclesiæ, & felicior conseruatio.

residentiam, ex quo Bona Capitularia communi nomine administrantur, & pro rata tantùm servitij, statis temporibus, ac terminis, præter distributiones quotidianas, grossæ quoque portiones, ac proventus distribuuntur diverso prorsùs more ab Ecclesiis Poloniæ, quarum præcipuè proventus in præstimonialibus Villis consistunt, hæ verò quandoque ab iis possidentur, qui haud unquam penes Cathedrales comparent Ecclesias.

Ministri in Ecclesia sunt sufficientes, quilibet Canonicorum Vicarium suum Commensalem fovet, qui curam gerunt apparamentorum Altaris Canonici sui, idemque celebranti (præter obligationes Chori) assistit, ità, quòd eorum duodecim Vicarij ad minus Ecclesiæ ministerijs continuò inserviant &c.

Concionatori Germanico, & Pœnitentiarijs ex episcopali, cæteris Ministris Ecclesiæ ex Capitulari Mensa, tum fundationibus annui currunt proventus.

Supellex, & apparamenta Ecclesiæ licèt per irruptiones, & bella Suetica plurima deperierint, manent tamen, & deinceps aucta sunt pia liberalitate Episcoporum, & Canonicorum, quantum satis est; & ex decore Ecclesiæ in dies augetur &c. Hospitale noviter à fundamentis ex muro solido erectum, sufficientem commoditatem præstat pauperibus, quæ magis augetur, quàm minuitur ex pia liberalitate Canonicorum ibidem decedentium.

Infrà Montem, seu Collem Mari recenti vicinum Oppidum situm jurisdictionis Capitularis, *Frauenburgum &c.*

Vicina Frauenburgo est *Brunsberga* hujus Episcopatus Civitas celebris san. mem. Cardinalis Hosii Colle-

Collegio Societatis Jesu cum Gymnasio, quod præter humaniores literas, etiam studia seueriora alit, utpotè Philosophica, & Theologiæ tam Speculativæ, quàm Moralis, lingvæ quoque Græcæ ibidem exercitium. Ipsum Collegium jus Typographiæ non ità pridem acquisivit. Adeò ut sivè studium, & disciplina, sivè omnigenæ scientiæ Professores, Viri docti, & insignes, sive concursus Studentium, ac loci commoditas, ipsarumque Scholarum insignis Fabrica spectetur, non immeritò Gymnasium hocce inter principalia numerari possit. Vnde tam ipsa Societas suos in studio Magistros fovet, quàm etiam Alumnatus Pontificis Gregorij XIII. liberalitate fundatus suos Alumnos; qui peractis Philosophiæ, & Theologiæ studiis tam in Varmia, quàm in circumuicinis Diœcesibus multum afferunt fructum per suas missiones, & doctrinam in Vinea Domini. Fabrica ipsius Alumnatus ex cocto latere admodum insignis, & digna prorsùs Majestate Pontificia.

Nec minùs emolumenti accedit Diœcesi Varmiensi à Diœcesano Seminario, quòd primitùs à præfato Hosio Cardinali Episcopo Varmien. junctis impensis Capituli Cathedralis erectum, suos fovet Alumnos, qui secundùm leges, & statuta Seminarij sub directione Patris Regentis, ejusdemque Socij, ex vicino Collegio non minùs necessaria pro Cura Animarum doctrina, quàm morum honestate imbuuntur.

Eadem Ciuitas Brunsbergensis, quæ jurisdictionis Episcopalis existit, præter alias prærogatiuas, pari cum cæteris *Anseaticis Ciuitatibus* (inter quas recensetur) jure, & libertate ab antiquo gaudet &c.

Sequitur recenſio ultrà memoratam jam Ciuitatem Brunsbergæ (quæ vetus eſt Metropolis Varmiæ) plurium aliorum præcipuorum Varmienſis Ditionis Oppidorum, in quibus partim Epiſcopus Princeps exercet utrumque dominium, partim Collegij, ſiue Capituli ſubſunt temporali dumtaxat juriſdictioni.

Antiquis temporibus amplior exiſtens Diœceſis Varmienſis, quinque præterea ultrà duodecim ſuperiùs enumeratos in ſuo ambitu Archipresbyteratus numerabat, utpotè *Creutzbergenſem, Preuſenlauienſem, Bisburgenſem, Friedilauienſem, & Scheppenpilenſem*, qui quiſque ſubjectis ſibi Parochis præerant; defecerunt jam à duobus ferè ſæculis cum ultimo Magiſtro Crucigerorum (Theutonicorum) eodemque primo in Pruſſia Duce Marchione Alberto Brandeburgico, ſectam Lutheranam conſectati, ac in temporalibus uti Ordini Crucigerorum, ità deinceps *Ducali Pruſſiæ* (quæ jam ab aliis *Regalis Brandeburgica* dici cæpit) ſubiecti.

Hoſpitalia, & Scholæ triuiales in omnibus Varmiæ Oppidis, & etiam plurimis Pagis habentur ſub exactiſſima cura Archipresbyterorum, & Parochorum, quibus ſuam operam, & ſtudium libenter accommodant Prouiſores, qui rationes perceptorum, & expenſarum, uti de Beneficiis Eccleſiarum ita de Hoſpitalibus juxta præſcriptum Conſtitutionum Synodalium annuatim examinandas & ſubſcribendas à Parochis locorum exhibere tenentur.

L

Varmia Germanorum Colonia.

Populus Diœceſanus per Epiſcopos Germanos omnis ferè ex Colonijs Germanorum antiquitus transplantatus poſt inuectam fidem Catholicam ex diuerſis Germaniæ Prouincijs conſtat, retinetque

ſuæ

ſuæ originis mores, linguam, & inſtituta; prouidentia autem Epiſcoporum, & legum ſanctitate cautum eſt, ne ulli Hæreticorum jure domicilij, multò minùs Contubernii in Ciùitatibus, vel Villis commorari liceat.

Clerus bene compoſitus eſt, literaria nimirùm virtute, & docta ſanctitate præditus, vix enim Parochorum, qui non in Scholaſtica, & ad minùs Morali Theologia fideliter ſit excultus, quando, & in Ciuitatibus Magiſtratus Sæculares, quin & infimus quandoque grex, humanioribus ſaltem literis imbutus, morum præcepta, quæ vel in Scholis triuialibus à Ludimagiſtris, vel in Gymnaſiis Patrum Societatis feliciter hauſit, ad amuſſim profitetur.

Ciuilitatem morum, ac obuiam etiam ignotis, præſertim Religioſis hominibus hoſpitalitatem tam in Clero, quàm Sæcularibus nemo deſiderauit &c. Dat. Gutſtadij penes Collegiatam Eccleſiam die 30. Martij 1701.

Gemma conſtanti fide, & pietate coruſcans inter umbroſas Hætherodoxæ Regionis undique circumfuſas Vicinias *Varmia* in oris Septemtrionalibus ad confinia Maris Balthici, ubi recens (Mare) vulgò *Friſch-haff &c.* Diœceſis unica tota quanta (ex tribus Epiſcopalibus Pruſſiæ) poſt debellatos, & expulſos Paganos centenario continuo bello Crucigerorum Theutonicorum, tandem Terræ Dominorum &c. Auitam intemeratam Romano Catholicam Religionem ad præſens retinens, primitùs *à Sancta Sede Apoſtolica mediante Epiſcopo Mutinenſi Wilhelmo in temporalibus, & ſpiritualibus datam, & traditam Epiſcopo Loci &c. immediatè Sanctæ Sedi Apoſtolicæ ſubjecta eſt, ſub Concordatis Germaniæ*

Num. 20. *Ex Relat. R.P. D. Theodori Potocki anni 1717. tunc Epiſcopi Varmien. nunc verò Regni Poloniæ laudatiſſimi Primatis.*

A *Theutonici Ordinis Equitis Pruſſiæ olim Domini.*

B *Eccleſiæ Varmien. comprehenſio ſub Concordatis Germaniæ.*

maniæ cum Nicolao V. Pontifice initus comprehenſa ab anno 1448.

Epiſcopus Primus Anſelmus in anno 1260. Eccleſiam Cathedralem Brunsbergæ, unà cum Prælatis ſex, & Canonicis ſexdecim, communi cum Epiſcopo Menſa fruentibus fundauit, ſed ab ejus Succeſſore Henrico ad vicinum Oppidum Fraumburg translata fuit, *Bonorumq; Epiſcopatus tertia pars*, adhibitis è vicinis Diæceſibus ſeptem Prælatis arbitris in anno 1288. *aſſignata Capitulo, Prælatis, & Canonicis Cathedralibus, & communicato pari Iure, & Iuriſdictione temporali.*

C *Capitulum potitur tertia parte Ditionis Varmien. plenojure dominij temporalis.*

Prælaturas verò ob tenuem earum Præbendam Nicolaus V. Pontifex reduxit & counivit Canonicatibus, ita ut intrà numerum ſexdecim Canonicatuum, & Præbendarum comprehendantur, Prælati, veluti ſunt pro nunc Præpoſitus, Decanus, Cuſtos, Cantor; Nam Archidiaconus, & Scholaſticus habiti pro omiſſis.

Penes eoſdem Prælatos, & Canonicos erat primitùs plenaria poteſtas eligendi de gremio ſuo, vel poſtulandi Epiſcopum; cujus Dignitatis, ut eſſent capaces, & participes Crucigeri (Theutonici) in hocce à juriſdictione eorum exempto, & ſoli ipſorum protectioni commendato Epiſcopatu, obtinuerunt à Sancta Sede Apoſtolica duarum de Ordine ſuo perſonarum ad Capitulum recipiendarum præſentationem, ſed hæc gratia illico ob diſparitatem, & colluſionem Sæcularis, & Regularis ſtatus ſpiritualium, fuit ab eodem Nicolao V. revocata: interim infeſtus Epiſcopis, & Capitularibus Ordo Crucigerorum, potentia prævalens, auulſit ab eodem Epiſcopatu Varmien. ſex millia Manſorum,

D *Epiſcopus Varmienſis exemptus ſemper fuit à juriſdictione Ordinis Theutonici.*

ubi

ubi quamuis Episcopus per tres sententias conformes apud Sanctam Sedem euicisset causam, quia verò Auenione redeundo Victor, in via veneno fuit interremptus, Successor Episcopus Henricus IV. à Sorbohm cum eis transegit ad affectationem ipsorum ratificante transactionem (sic tunc exigentibus rebus) Gregorio XI.

Bello quoque Superiori, Societati Crucigerorum sese immiscuerat Nicolaus à Tungen Episcopus, verùm unà cum illis deuictus in anno suprascripto 1479. *adactus fuit personaliter, insimul cum DD. Capitularibus, ac omnibus statibus, ac personis suæ Diœcesis jurare in verba Regis Poloniæ, à quo vicissim assumptus fuit in Senatorem Regni, & protectionem Regiam. Hæc verò submissio utpotè contra libertates Ecclesiasticas facta, cassata fuit à Iulio II.*, adstricto Capitulo gratam Regibus Poloniæ eligere deinceps personam Episcopalem, *& indè deuentum fuit ad transactionem, siue concordiam inter Capitulum, & Regem, ut Is de gremio Capituli quatuor eligibiles nominaret, de quibus unum eligendi sit Capitulo libera potestas, atque hæc forma usque modo obseruatur*, qua libera electione Capitulari attenta Sacra Congregatio Consistorialis nuperrimo decreto suo in anno 1698. ordinauit, quatenùs expeditiones ex Curia Romana super Prouisionibus Episcoporum Varmien., *non ad nominationem Regiam, sed ad electionem Capituli extendantur.* Præposituræ quoque collatio Sacræ Regiæ Majestati tunc fuit delata à Leone X. *Et sic Episcopatus hic, prout & Terra Prussiæ Regalis, Crucigeris adempta sub protectione Regis Poloniæ exstitit, salvis suis immunitatibus, & libertatibus per Diplomata Regia conservatis:* Ac ideò quoad contributiones annuas, seu pro tem-

E *Nicolaus à Tungen Episcopus Varmien. se, & Episcopatum tradit in fidem, & protectionem Regum Poloniæ assumptus vicissim in ejusdem Regni Senatum anno 1479.*

F *Transactio Fabiani Episcopi Varmien. de anno 1512. super quatuor Candidatis ad Episcopatum à Rege præsentandis.*

G *Episcopatus Varmien. sub protectione*

Regum Poloniæ exiſtit ſaluis ſuis juribus, & libertatibus.

tempore ingruentes, vel neceſſariò tolerandas, Epiſcopatus iſte ſeſe iisdem Terris Regalibus, quanta poteſt libertate accommodat; Capitulo Cathedrali de Triente Bonorum, & Terrarum ſuarum, ad tertiam partem onerum concurrente.

H

Epiſcopus tenetur jurejurando ad obſeruantiam certorum Articulorum à Sede Apoſtolica ſpecialiter approbatorum.

Epiſcopus in acceſſu ſuo ad poſſeſſionem Epiſcopatus certos Articulos à Commiſſario Apoſtolico Pii V. Cardinali Commendono præſcriptos, jurat in Capitulo; Prælati, & Canonici Cathedrales quoque pariter adeundo poſſeſſionem, ſolito ſuo juramento in Statutis extenſo, inter alia Epiſcopo obedientiam, & obſervantiam. *Electio Prælatorum, & Canonicorum* (exceptuato uti ſuprà Præpoſito collationis Regiæ) *per concordata Germaniæ hicce vigentia, alternativis menſibus à Sancta Sede Apoſtolica, & item Epiſcopo cum Capitulo* (*ubi Epiſcopus tantùm unam primam vocem obtinet*) *expeditur.* In ſortem functionum Epiſcopalium pro Suffraganeo, aſſumptus à me ante triennium Reuerendiſſimus Ioannes Franciſcus Kurdwanowski Epiſcopus Marochenſis, Præpoſitus Canonicus Cathedralis Varmien., magnarum qualitatum, & meritorum Prælatus Vrbi, & Orbi notus, in prouecta ætate ſummæ vivacitatis, amplioribus honoribus, & adhuc laboribus Eccleſiaſticis ſuppar, cui penſionem ſolitam de Menſa mea Epiſcopali annuatim exhibeo &c. Fulgent etiam Epiſcopi Varmien. ab immemorabili tempore titulo Principis Sacri Romani Imperii &c.

I

Capitulum confert Canonicatus in alternatiuis menſibus vacantes vigore Concordatorũ Germaniæ.

K

Epiſcopꝰ Varmien. retinet nunc uſque titulum Principis Sac. Rom. Imperij.

In nomine Domini, Amen.

Num. 21.

Jus eligendi ſpectans ad Capitulum Varmien.

Cùm Sanctiſſimus D. N. Pius Divina Prouidentia Papa V. ſpeciali quodam Reſcripto ſuo in forma Breuis Apoſtolici, Nobis mandauerit, ut *Cathedralis Eccleſiæ Varmienſis, Statuta, Conſtitutiones, Capitulatio-*

tulationesque omnes Nobis præſentari juberemus, atque accurata & diligenti ſuper eis conſideratione habita, omnibusque maturè diſcuſſis, prauas, & ſcandaloſas expungendo, & caſſando, ſuperuacua reſecando, & neceſſariorum, ſicubi ita res poſtularet, defectum ſupplendo, in eam illa formam redigeremus, quam illi Eccleſiæ in primis vtilem, & neceſſariam fore cognoſceremus &c. NOS JOANNES FRANCISCUS MISERATIONE DIVINA S. R. E. TIT. S. CYRIACI IN THERMIS PRESBYTER CARDINALIS COMMENDONUS SS. D. N. PII V. PRÆFATI, AC SEDIS APOSTOLICÆ PER UNIVERSAM GERMANIAN, POLONIAMQVE DE LATERE LEGATUS, PRÆFATI BREVIS AUCTORITATE, Cujus eſt Tenor: PIUS PAPA V. Dilecte Fili noſter ſalutem &c. Licèt aliàs per Concilii Tridentini Decreta ſalubriter Statutum ſit, ut Epiſcopi Eccleſiarum, quibus præſunt, Conſtitutionibus, & Conſuetudinibus circa Promiſſiones, ſeu Capitulationes, quæ in eorum admiſſionibus ad earum poſſeſſionem fiunt, cognoſcerent, quasque pravas & ſcandaloſas repererint, ut tales rejicerent, & abolerent; Quia tamen ſicuti nuper non ſine animi noſtri dolore accepimus, *in Eccleſia Varmienſi, quæ Nobis, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta*, hucuſque minimè factum exiſtit. Nos præmiſſa æquo animo ferre non valentes, cupientesque ut id etiam in dicta Eccleſia, quàm celerrimè fiat, circumſpectioni Tuæ, ob illius Præſulis abſentiam, præſentibus nullo à Nobis expectato alio mandato per Te, vel alium, ſeu alios, ſingulas Conſtitutiones, ſeu Conſuetudines dictæ Eccleſiæ

elicitur quod ex Articulis, inter recentiora Statuta Eccleſiæ Varmien. ſpeciali ordinatione Apoſtolica recenſitis, ad quorum obſeruantiam, quisque Electus, vel Poſtulatus Epiſcopus jurejurando obſtringitur.

cleſiæ Varmienſis authoritate noſtra cognoſcas, & illis tantùm, quas laudabiles probaueris exceptis, reliquas, ut prauas, & ſcandaloſas rejicias & aboleas &c. Nos enim præmiſſa omnia, & ſingula, ac alia, quæ in illis, & circa ea neceſſaria duxeris quomodolibet opportuna facien. gerenda, & exequenda, ac ea, quæ feceris ſtatueris, & exequutus fueris, firmiter omnibus, quibus illa conueniunt obſeruari, ſub pœnis &c. plenam, & liberam facultatem, auctoritatem, & poteſtatem concedimus per præſentes, quas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus comprehendi, atque de ſubreptionis, & obreptionis vitio minimè notari poſſe volumus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis Eccleſiæ dictæ Varmien. &c. Statutis &c. ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & ſub quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis &c. etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra conceſſis, confirmatis &c. Quibus omnibus &c. Tenore præſentium &c. hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæterisque contrariis quibuſcumque &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris. Die 22. Nouembris 1571. Pontificatus noſtri Anno ſexto. Cæſar Glomerius. Corrigenda duximus, atque correximus, reliquis in ſuo robore permanſuris &c. Et cùm hactenus *Epiſcopi Electi, ſeu Poſtulati* ante publicationem *Electionis, vel Poſtulationis* conſueuerunt jurare quoſdam Articulos: Nos ex iis omnia, quæ viſa ſunt ad Eccleſiæ commodum facere, ipſis Statutis adjungi, & in eis incorporari deliberauimus, prout adjungimus, & incorporamus, adjunctos, & incorporatos

poratos esse volumus, & mandamus, & omnia, atq; singula infrascripta per Nos statuta, & ordinata inuiolabiliter obseruari mandamus, *Episcopumque Electum, seu Postulatum* pro tempore secundùm præscriptam *eorum obseruationem jurare debere decernimus.* Reliquos verò juratos Articulos tollendos, abolendos, irritandosque, prout irritos, abolitos nullius roboris ac momenti, ac omninò inanes esse decernimus, ac declaramus; excepto capitulo de Limitibus, Granicijs, & Capitularibus aquis Maris recentis, cujus declarationem, & reformationem Nobis reseruamus, ad quam deueniemus, cùm primùm de ea plenam notitiam, & informationem habuerimus. Prohibemus in posterum similes, vel alios Articulos jurari quocumque prætextu, vel colore. Quod si secùs factum fuerit, ex nunc, prout ex tunc totum irritum, & inane, nullamque obligationem, quouis juramento, seu promissione jurata non obstante, induci siue inducere posse declaramus: Sequuntur tenores Articulorum ex præfata Legati Apostolici ordinatione, quos Electus, vel Postulatus Episcopus Varmiensis in assequenda possessione Episcopatus, jure tenetur, quibus primo loco prohibetur quæcumque alienatio Bonorum, & Iurium ejus Ecclesiæ, nisi seruatis solemnitatibus de jure requisitis, cum expresso consensu Capituli, & Beneplacito Apostolico.

A

Item imponitur specialis obligatio seruandi, & manutenendi priuilegia, & libertates ejusdem Ecclesiæ. Pariter expressè vetitum est Episcopo bellum cuiquam indicere, vel fœdera, aut pacta inire communem Ecclesiæ, & Varmiensis Ditionis statum concernentia sine voluntate, & consensu sui Capituli,

Ecclesiæ Varmien. veteraIura tam ratione electionis Episcopi, quàm rat one liberi in sua

temporali Ditione, pleniq; Dominij, Cardinalis Commendonus S. Pontificis Pii V. Legatus à Latere apud Sigismundum Augustum Poloniæ Regem, confirmat palàm per Acta publica suæ Legationis, nemine dissentiente, aut quicquam in contrarium opponente.

tuli, cujus quoque consilium, & assensum decernitur esse adhibendum generaliter ad alia quæcumque grauiora negotia temporalis jurisdictionis circa regimen totius Episcopatus, ut in statuendis Datijs, Impositionibus, aliisque publicis Ordinationibus &c.

Insuper adest specialis Articulus de non assumendo in Episcopatu Coadjutorem cum futura successione sinè præuio consensu majoris, & sanioris partis Capituli.

Demùm prædictos omnes Articulos claudit postremo loco formula præscripta ab eodem Apostolico Legato juramenti, quod *Episcopus Electus, seu Postulatus præstare debet cum sua manus subscriptione, vel ejus Procuratoris ad id speciale mandatum habentis sub hoc qui sequitur tenore.*

Ego NN. Electus, seu Postulatus in Episcopum Varmien. præmissa omnia, & singula, promitto, & juro fideliter obsservare, & adimplere, in omnibus, & per omnia simpliciter, purè bona fide, realiter, & cum effectu sub pœna perjurij. Ità me Deus adjuvet.

Subsequitur concluſio in fine omnium Ordinationum. Sub Dat. Varsauiæ Anno Domini 1572. prima die mensis Maij, Pontificatus prædicti SS. D. N. Anno sexto; In quorum fidem &c.

Antonius Magi Gratianus Secretarius.

Locus Sigilli.

Supradictorum Articulorum, & Ordinationum tenores recensentur in Actis Processus informatiui *fol.72* quem auctoritate Apostolica specialiter delegata confecit R. P. D. Nuncius Apostolicus super grauaminibus, innouationibus, & præjudicijs Ecclesiæ Varmien.,

Varmien., atque tranſmiſit ad Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium ubi reperitur exhibitus 31. Ianuarij 1698. Ponente ejus Cauſæ Eminentiſſimo Cardinali Tanario.

Idem ſupra memoratus R. P. D. Nuncius Apoſtolicus nunc Eminentiſſimus De Via, de tempore commiſſæ ſibi Viſitationis vacantis tunc Eccleſiæ Varmien. Sub Dat. 6. Septembris 1697. in materia electionis Epiſcopi, ſcribit ad Eminentiſſimum Secretarium Status, ut ſequitur.

B

R.P. D. Nuncius Apoſtolicus in actu Viſitationis vacantis Eccleſiæ Varmien. circa ejus liberæ electionis competens Capitulo, quoque gaudeat beneficio Concordatorum Germaniæ.

Eminentiſſimo, e Reuerendiſſimo Signore &c. Li Capitulari di Varmia nell' eſpormi i giorni paſſati lo ſtato della loro Chieſa, mi rimoſtrarono, *che eſſendo ſempre ſtata compreſa nelli Concordati di Germania,* come quella che era fondeta nelle Prouincie della Natione Tedeſca, haueua anticamente goduta la libertà dell' elettione, allorche per la morte del Veſcouo reſtaua vacante la Cathedra. Paſſata poi ſotto la protettione del Rè di Polonia, fu accordato, che doueſſero li Canonici elegger ſempre per loro Veſcouo vn Soggetto grato alla Corte, e perche inſorſero ben preſto difficultà ſopra l'accettarſi da' Rè di Polonia li Soggetti propoſti dal Capitolo, fù conchiuſo con l'aſſenſo ancora della ſanta memoria di Leone X., che il Rè proponeſſe in auuenire quattro Capitolari non ſoſpetti, e che il Capitolo ne ſcieglieſſe vno di quelli da preſentarſi alla Santa Sede per il Veſcouato. Si è mantenuta ſimil offeruanza &c. Fraumburgo 6. Septembre 1697.

Vmiliſſimo, Deuotiſſimo, & Obligatiſſimo Seruitore
G. A. Arciueſcouo di Tebe.

Illu-

Illustrissimo, e Reuerendissimo Signore &c.

Epistola Emi Card. Secretarij Status Pontificis ad R.P.D. Nuncium Apostolicum Regni Poloniæ, cui significatur esse manutenendum Capitulum Varmien. in suis juribus circa electionem Episcopi juxta Decretũ Consistoriale in antecessum emanatum.

HÀ Nostro Signore approuato tutto quello che V.S. Illustrissima hà pratticato, & auertito in proposito della vacante Chiesa di Varmia, alla quale deue mantenersi quel tanto che le fù conceduto col Decreto Consistoriale di cui Ella hà hauuto copia, il che sicome si pratticarà qui nella spedizione, così dourà purcostà auertirsi da V. S. Illustrissima &c. Si attenderà in tanto quello che da lei sarà notificato in appresso sù tal materia &c. Roma li. 3. Ottobre 1711.

Affettionatissimo Servitore
F. Cardinal Paulucci.

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c.

Dilecto Filio Lucæ Electo Varmien. Salutem &c.

Num. 22. *Innocentius VIII. cũ præuia discussione Causæ in Consistorio confirmat electionẽ Lucæ Veiselndi in Episcopum Varmiẽ. Reperitur in reg. Cancell. Apostolicæ prouisionũ &c Sub Datum Romæ 15. Kal. Julij. Pontifi-*

Sanè Ecclesia Varmien. cui bo. mem. Nicolaus Episcopus, dum viueret præsidebat per obitum ejusdem Episcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ persoluit, Pastoris solatio destituta, dilecti Filii Capitulum Varmien. pro futuri Episcopi Varmien. celebranda electione, vocatis omnibus, qui voluerunt, & debuerunt electioni hujusmodi commodè interesse die ad eligendum præfixa, ut moris est conuenientes in unum, te ipsius Ecclesiæ Varmien. Canonicum in Episcopum Varmien. concorditer elegerunt, sicq; electioni hujusmodi, illius tibi præsentato decreto consensisti: *Et deinde tam Tu, quàm Capitulum prædicti electionis ejusdem feciste negotium proponi in Consistorio coram Nobis petentes ipsam auctoritate Apostolica confirmari,* in his omnibus à Iure Statutis temporibus obseruatis &c. Nos igitur, *qui electionem ipsam, & Tuæ personæ meri-*

ta

rita examinari fecimus diligenter, quia electionem ipſam de perſona Tua literarum ſcientia prædita, vitæ munditia, & morum honeſtate decora, in ſpiritualibus prouida, in temporalibus circumſpecta, factam canonicam eſſe reperimus, ipſam de Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & approbamus, Teque eidem Eccleſiæ præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c.

catus Innocentij VIII. anno quinto fol. 51.

Hæ Literæ prouiſionis Apoſtolicæ Innocentii VIII. in edendo hoc Summario tardius repertæ, ideoque hic extra ordinem appoſitæ referuntur ad alias ejusdem Pontificis recenſitas antecedenter ſub num. 4. lit. C. circa controuerſias electionis diſcuſſas in Conſiſtorio Apoſtolico.

A

In Secretaria Conſiſtoriali cum Poſitione Cauſæ exhibita habetur ex Actis Capitularibus authenticè ſumpta longa ſeries, & ordo Electionum, ſeu Poſtulationum continuatis actibus à Capitulo Varmien. factarum ſuperiori ſæculo uſque in præſens cum ſubſecuto effectu prouiſionum Apoſtolicarum in perſona cujuſque Electi, ſeu Poſtulati Epiſcopi; atque cautiones, quandoque adhibitæ pro præſeruatione ejuſmodi juris.

Capitulum Varmien. non intermiſsè fuit in poſſeſſione eligendi, ſeu poſtulandi ſuum Epiſcopum quotiescunque vacare contigit eam Eccleſiam.

Perilluſtres, & Rmi Domini, & Fratres Obſervandiſſimi.

Num. 23.

Si liceret Perilluſtribus Dominationibus Veſtris penetralia cordis mei inſpicere, omni proculdubio cognoſcerent, non aliter ab ipſis de me ſentiendum fore; quàm in ſuis ad me nuperrimè datis Literis, eaſdem ſentire lubens perſpicio. Major eſt, quàm ſatis exprimi queat amor meus erga Perilluſtres Dominationes Veſtras, propenſio in iſtam Prouinciam, zelus, & teneritudo pro iſta Eccleſia, cujus, veluti meæ olim Sponſæ dilectiſſimæ, vix

Epiſtola reſponſiua Celſiſſimi Principis Primatis Poloniæ, qui reddit ſecurum Varmienſe Capitulum de fauorabili, & æqua intentione

Sereniß. Regis, nec censet eius voluntate fieri, quod turbetur ius liberæ electionis Capitularis.

sine lacrymis mihi conceditur reminiſci. Hinc eſt, quòd non ſine magno animi mœrore audiam, quæcunque minimus etiam rumor minùs fauorabilia illis contingere, adferat. Iuſtiſſima tamen, & nemini unquam denegata Sereniſſimi Regis, Domini Noſtri Clementiſſimi Protectio, facilè exortas Perilluſtrium Dominationum Veſtrarum turbationes uberrimè ſolari poterit; Præcipuè cùm comperta ſit hucuſque Reipublicæ, & etiam Sereniſſimo Regi, Perilluſtrium Dominationum Veſtrarum fidelitas, & omnimoda devotio; quam, & ego tot annorum ibi Præſul notam habui, & perſpectam, uti digniſſimarum perſonarum gremium hoc componentium, gnarus optimè; induci ergo non poſſum, ut credam quempiam in Collegio veſtro reperiri, qui vel cogitare poſſet de minima imminutione, & læſione obſequii, fidelitatis, & obedientiæ ſecundùm pacta, & obligationes veſtras Sereniſſimis Regibus, & Reipublicæ debitorum. Sicut ergo jus Majeſtaticum ſemper à Capitulo Varmien. magna adornatione obſeruatum eſt, ita Sereniſſimus Rex, cui prima virtus eſt jus ſuum cuique tribuere, & conſeruare, tota propenſione intendit illud inuiolabiliter manutenere, Paternâq; tueri Clementiâ. Nemo igitur diuerſum ab his eſſe Sereniſſimi Regis mei animum opinetur: Amat enim Sua Regia Majeſtas Dominus meus Clementiſſimus in libero Regno liberis regnare non coactis, & priuilegia Eccleſiarum, & Capitulorum augere, non conuellere; & caſu, quo aliter quispiam de Sereniſſimi Regis juſtitia, & bonitate opinari, & ſentire vellet, talem profectò honoris, & famæ Regiæ Amicum eſſe non cenſerem, Secu-

ras

ras proindè esse liceat Perillustres Dominationes Vestras circa Reuerendiss. Capituli jura, & præcipuè circa non postremum monile practicatum Electionis, cui Clementissima Regia Majestas credo, quòd nullum velit inferri præjudicium. Tandem de constanti effectu, & æstimatione mea sibi polliciantur Perillustres Dominationes Vestræ plurimùm desidero, & prospera quæque animitùs apprecor. Perillust., & Reuerendiss. DD. VV.

Dat. Louicii 12. Aprilis 1724.

Addictiss. Frater, & ad quæuis officia paratissimus

Theodorus Potocki Archiepisc. & Primas.

Num. 24. *Status, & ordines Episcopatus Varmien. in suis Conuentibus Generalibus quoties statuunt contribuere aliquam Quotam pro publicis Regni Poloniæ necessitatibus, solemniter protestantur id fieri beneplacitatis gratitudine, atq; gratiæ promerendæ Regiæ protectionis, & non in vim ullius sanctionis, vel impositionis inditæ à statibus Regiæ Prussiæ, cui nullum jus est decer-*

Status, & ordines huius Episcopatus in hodierno Conuentu, de consilio Ven. Capituli indicto, non vi laudi Mariæburgensis, Graudentinensis, aut aliarum Prussiæ Terrarum &c. (de quo quàm solemnissimè protestantur) ceu, cui nunquam fuerunt obnoxij, sed ultrò, ad testificanda Sacræ Regiæ Majestati, & Inclyto Poloniarum Regno; studia & promptam voluntatem suam, pro subleuandis Regni Poloniæ, & communis Patriæ necessitatibus præsentibus &c. exemplo aliarum Regno Poloniæ incorporatarum Prouinciarum, unanimi consensu sanciuerunt &c. Super quibus omnibus &c.

Sequitur legalitas Notarij extrahentis ex actis Conventuum Generalium in materia contributionum publicarum incipiendo ab anno 1601. sub olim Petro Tylicki Episcopo Varmien. usque ad moderna tempora successiuè seruata de casu in casum eadem protestationis formula.

nendi contributiones in Varmia.

Num. 25.

Summaria informatio Iurium Ecclesiæ Varmien. pro parte Capituli exhibita anno 1512. eximio olim Archipræsuli, & Primati Poloniæ Io: de Lasko designato Oratori ad Summũ Pontificem, & Concilium Lateranense, in Causa Prussiæ, ut refert Pistorius Nidanus Polonicarum rerum tom. 2. pag. 317.

Anno Domini MCCXLIV. Terra Prussiæ ab Infidelibus per Sedem Apostolicam erepta, bo. mem. Vilhelmus Episcopus Mutinensis dictæ Sedis Nuncius, Terram Prædictam authoritate ejusdem Sedis in tres partes divisit, & limitavit, duas Magistro, & Fratribus, Ordinis B. Mariæ Theutonicorum, & tertiam partem hujusmodi Episcopo, cum omni proventu, jure, & jurisdictione deputavit; Ac mox deindè Ecclesia Varmiensis in Cathedralem erecta, Episcopo Varmiensi, qui tunc Episcopus Prussiæ dicebatur, temporalia, quæ Episcopo Varmien. competunt, nomine Romanæ Ecclesiæ concessit, & Ecclesiam Varmiensem Sedi prædictæ immediatè subjecit; Ità tamen, ut ex tunc jus eligendi, seu postulandi Episcopum, ad Capitulum Ecclesiæ Varmien., jus verò disponendi de Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis ejusdem Ecclesiæ, ad Episcopum Varmien. unà cum Capitulo pertineret; Quæ omnia fel. rec. Innocentius Papa IV. per suas confirmavit; Et Imperator Carolus IV. per suas literas, aureis Bullis munitas, rata, & grata habuit, prout in ipsorum Vilhelmi Episcopi, & Nuncij, ac Innocentij Papæ, & Caroli Imperatoris Literis hujusmodi plenius continetur. *Vid. num. 2. 4. & n. 7. lit. A.*

Vide num. 4.

Concordata Ecclesiarum Germaniæ ab Episcopo Varmiensi acceptata, cum

Vnde à tempore fundationis hujusmodi ad infra dicendum tempus, Concordatorum inter Sedem prædictam, & Nationem Germanicam Capitulum, & Canonici Ecclesiæ prædictæ fuerunt in possessione, seu quasi pacifica, & quieta juris eligendi personam in Episcopum Varmiensem, & obtinendi confirmationem electionis à Sede prædicta; Et Episcopus unà cum Capitulo fuit in possessione juris dispo-

disponendi de Dignitatibus, Canonicatibus, & præbendis dictæ Ecclesiæ Varmien. jure fundationis, dotationis, & approbationis dicti Papæ Innocentij, ut præfertur. Deindè anno Dñi MCCCCXLVII. supervenientibus dd. Concordatis Germanicæ Nationis, Franciscus tunc Episcopus Varmien., tanquam Germanicæ, seu Alemaniæ Nationis, dicta concordata acceptavit, & ab eo tempore intrà usque in præsens Episcopus, & Capitulum prædicti, liberè disposuerunt in alternativis mensibus de Præbendis, & Dignitatibus, excepta præpositura. Capitulum quoque, & Canonici liberè elegerunt pro tempore personam in Episcopum Varmien., & confirmationem electionis à Sede prædicta obtinuerunt, jure Concordatorum prædictorum.

subsecuta eorum observantia. Vid. sub n. 4. lit. A. B., & seq. n. 14 lit. C., & D. n. 17. lit. F. n. 19. lit. G. n. 20. lit. A., & n. 26. lit. B.

Succesſiuè autem de anno MCCCCLXVIII. D. Nicolaus Tungen per Capitulum canonicè electus, atque jure Concordatorum per Sedem Apostolicam confirmatus, postquam Episcopatus sui possessione per aliquot annos pacificè continuata, per fel. rec. Casimirum Regem Poloniæ ab Ecclesia, & Episcopatu suo armata vi expulsus, longum passus fuisset exilium, tandem ad Episcopatum reductus, ne totus Episcopatus extirparetur, fuit compulsus per eundem Regem, facere cum eo quandam concordiam, seu capitulationem, & inter alia submittere, & obligare se, & Successores suos cum Capitulo, quod ex tunc in futurum Capitulum, & Canonici tenerentur eligere in Episcopum personam gratam Regi Poloniæ pro tempore existenti Sed quia prædicta fuerunt per præfatum D. Nicolaum Episcopum, & Capitulum facta metu, vi, & compulsione, absque licentia Sedis Apostolicæ, in

Vid. num. 5.

Vid. num. 27. sub lit. T.

illius ac privilegiorum Eccleſiæ Varmien. præjudicium, non ſunt per dictam Sedem unquam confirmata, ideò per dicti Nicolai Succeſſores Varmien. Epiſcopos, & per Capitulum nunquam ſunt obſervata.

Vid. dicto num. lit. X. & num. 4. & 12.

Mortuo namque dicto Nicolao de anno MCCCCLXXXIX. Lucas tunc Canonicus Varmienſis per Capitulum in Epiſcopum liberè electus opponente ſe acriter dicto Domino Rege, tanquam ingratam ſibi perſonam electam fuiſſe, non obſervata concordia dicti D. Nicolai, fuit per fel. rec. Innocentium Papam VIII. jure Concordatorum Germaniæ confirmatus. Et tunc de juribus, & privilegiis Eccleſiæ Varmien., & præſertim de Concordatis prædictis, ac de juſtitia ejuſdem Eccleſiæ pleniſſimè cognitum fuit, conſiſtorialiter, & ſpecialiter, quòd dicta concordia Nicolai Epiſcopi, & Capituli, nulla fuit ab initio, nec aliquo modo obſtet juri, liberè eligendi Capitulo competenti, clarè diſcuſſum à Procuratoribus, & Advocatis tam D. Regis, quàm Capituli per plures menſes auditis, referente bo. mem. Marco Epiſcopo Præſtinenſi, Cardinali S. Marci, prout ex litera ejuſdem Cardinalis miſſiua ad præfatum Regem directa patet, ſub Data 15. Septembris anno MCCCCLXXXIX.

Vid. num. 4. per tot.

Vid. num. 6. per tot. & num. 26. lit. C.

Quamvis igitur Eccleſia Varmien. in jure liberè eligendi Epiſcopum, per Sereniſſimos Reges Poloniæ pro tempore graviter fuerit oppugnata, eſt tamen ſemper patrocinio Sedis prædictæ defenſata. Nam, & fel. rec. Iulius Papa II omnes ſubjectiones, & conventiones per Epiſcopos Varmien. Regibus Poloniæ, & cum illis factas in præjudicium Sedis Apoſto-

Apoſtolicæ, & dictæ Eccleſiæ Varmien, & per quas libera electio Epiſcopo impeditur, caſſavit, ſeu potiùs caſſas, & irritas declaravit; ac privilegia dictæ Eccleſiæ de novo confirmavit de anno MDXII. ante obitum dicti Lucæ Epiſcopi.

Nunc ultimò, cùm dicto anno MDXII. de menſe Martio, vacante dicta Eccleſia, per obitum præfati Lucæ Epiſcopi, Capitulum liberè elegiſſet Fabianum modernum Epiſcopum Varmien., idem Fabianus Epiſcopus confirmatus, & conſecratus, cum octo Canonicis tunc apud Eccleſiam reſidentibus, cæteris Canonicis octo abſentibus (de quorum utiq; ſingulorum intereſſe agebatur) concluſit cum Sereniſſimo Rege moderno talem concordiam ſuper futuris electionibus Epiſcoporum, de quatuor perſonis nominandis, prout Paternitati Veſtræ optimè conſtat. *Vid. n. 5. lit. A.*

Cùm autem ſtantibus fundationibus, donationibus, & immediata ſubjectione, aliiſq; prædictis privilegiis Eccleſiæ hujuſmodi dicta concordia Nicolai Epiſcopi, ſeu ſubjectio per eum Regi præfato, absq; licentia Sedis prædictæ facta, ac per metum, & vim bellicam extorta, nulla exiſtat, nec unquam ſit per dictam Sedem confirmata, imò caſſata, ac potiùs irrita, & caſſa declarata, nec per Capitulum obſeruata; Ac dicta concordia, quæ per modernum Epiſcopum, & octo Canonicos facta prætenditur, etiam absq; licentia Sedis prædictæ inita, non conſentientibus cæteris Canonicis, imò multis, tam ex illis, qui præſentes fuerunt, quàm ex his qui abſentes ab Eccleſia erant, contradicentibus, de quorum tamen ſingulorum intereſſe agitur, ſit etiam nulla, & dictæ Sedi, Eccleſiæque Varmien., ac Subditis ejuſdem

Vid. num. 5. lit. A. & num. 27. lit. T. ſub lit. X.

Vid. num. 6. lit. A.

ejuſdem præjudicialis, & damnoſa; Et ſi concordia illa acceptaretur, timenda eſſent multa ſcandala, & incommoda Eccleſiæ, Canonicorum & aliarum perſonarum, quæ ad præſens, non opus eſt narrare; Cùm eis præfatus Caſimirus Rex promiſerit pro ſe, & Succeſſoribus ſuis Regibus Eccleſiam Varmien. conſervare, fovere, & manutenere in ſuis juribus, conſuetudinibus, & privilegiis, prout etiam modernus Dominus Rex Sigiſmundus idem promiſit, & denuò confirmavit. Ideò pro parte Decani, & aliorum Canonicorum Rom. Cur. ſequentium ſupplicatur R. D. V., ut pro bonitate ſua, & benignitate, ac amore erga Eccleſiaſticam Rempublicam intercedere dignetur apud Regiam Majeſtatem, ut illa memor ſuæ promiſſionis, & pro innata ſua clementia, & pietate, ac commodo, & tranquillitate Terræ Pruſſiæ, & Regni ſui permittat dictam Eccleſiam ſuis gaudere priuilegiis, Quod ubi Decanus, & Canonici à Majeſtate Regia, & Paternitate Veſtra Reverendiſſima impetrauerint, parati erunt ad omnia, ad quæ de jure tenebuntur, recommendantes ſe & Eccleſiam prædictam Majeſtati Regiæ, & Paternitati Veſtræ Reverendiſſimæ humillimè in juſtitia ſua.

Num. 26. *Sententia R. P. D. Nuncij Apoſtolici Poloniæ ſuper controuerſiis inter Martinum Cromerum Epiſcopum, & Capi-*

Sequitur legalitas Notarii extrahentis ex vetuſto Libro authentico Actorum Capituli Varmien.

anni 1512.

Chriſti nomine inuocato &c. Nos Vincentius Laureus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Montis Regalis, ad Sereniſs. Principem Henricum Poloniæ Regem &c. Sanctiſs. D. N. Papæ cum poteſtate Legati de Latere Nuncius: à Reverendiſſimo D. Martino Cromero Coadjutore, ac dilectis Nobis

bis in Chriſto Canonicis, & Capitulo Varmien. Compromiſſarius Judex Cauſarum conſtitutus, quas ipſi coram Nobis viciſſim propoſuerunt, atque agitarunt in punctis, & articulis infraſcriptis; controverſias, & lites omnes componere, & definire volentes in vim compromiſſi in Nos facti, ad hunc qui ſequitur modum ſententiam ferimus &c. Quoniam bona Varmien. Eccleſiæ olim fuerant ab Epiſcopo, & Capitulo communiter poſſeſſa, illis poſteà diviſis integra beſſis Epiſcopo; Triens verò Capitulo aſſignata eſt portio integra ſub hac verborum formula in arbitrio deſcripta anno Domini 1288. (ut ſcilicèt Capitulum iiſdem juribus, libertatibus, uſibus, & dominio omnia Bona, & Poſſeſſiones ſuæ partis poſſideat, & teneat quibus D. Epiſcopus tenet, & poſſidet ſuam partem): A quo etiam tempore, ſubditi Capitulares cauſas ſuas coram infraſcriptis Magiſtratibus ſemper propoſuiſſe dicuntur, ut videlicet coram Sculteto in prima inſtantia, à ſententia Sculteti ad Senatum (quem vocant) locorum appellent, & à Senatu ad Adminiſtratorem Supremum Judicem à Capitulo deputatum, & ab hoc etiam (quamuis tertiò provocare non liceat) per modum ſupplicationis ad Capitulum, ſeu Viſitatores recurrere queant. Ideò à præſcripta conſuetudine, arbitrio roborata temerè recedendum non eſſe definimus.

Ità tamen integram juriſdictionem Capituli obſeruari volumus, ut eam alii non infringant, & ipſum ſuos limites non excedat. Quare Canonicorum ſubditos, quantumvis exemptos, ritè coram Epiſcopo conueniri poſſe declaramus, ex his cauſis dumtaxat, nempè ratione delicti, vel contractus,

tulum Varmien. ratione diuiſionis Bonorum, & ſuper exercitio jurisdictionis temporalis totius Epiſcopatus, atque ſuper jure conferendi Canonicatus in menſibus alternatiuis.

Ditio temporalis totius Epiſcopatus diuiſa eſt inter Epiſcopum Principem & Capitulum per Beſſim, & Trientem.

A

A judicijs ſæcularibus Oppidanorum, & Terrigenarum Varmien. non datur ulla prouocatio ad Tribunalia Regni Poloniæ.

siuè rei, de qua contrà ipsos agitur, ab ipso etiam Episcopo visitari, corrigi, & emendari posse statuimus. Qua in re si Edictis per Loci Ordinarium propositis Canonicorum subditi post hac non obtemperauerint, mulctis, & aliis pœnis sic compellantur, ut obediant. Si quis autem ex Capitulo, vel nimia potentia elatus, vel quod in ipsos Subditos Magistratum gerat, contrà hujusmodi Ordinarii decretum venerit, in eum (juxtà veterum Patrum Decreta) est animadvertendum &c.

B *Collatio Canonicatuum in mensibus alternatiuis pertinet ad Episcopum simultaneè cum Capitulo à tempore immemorabili.*

Deindè ibidem paucis interjectis in eodem Decreto ratione Electionis, & institutionis Canonicorum prosequitur sic.

Ex arbitrio à Iudicibus communiter assumptis prolato 1288. anno super diuisione Bonorum inter Episcopum, & Capitulum facta, ius Canonicos eligendi in mensibus Ordinarii Capitulo delatum est, quo ipsum Capitulum proponit, eos quos eligit simul quoque instituendi se esse in possessione, vel quasi possessione, quam crebris actibus ità continuisse affirmat, ut per veteres nonnullas scripturas in Acta Capituli referri solitas hujusmodi Iuris præscriptionem longo tempore quo hominum memoria in contrarium non extat, probare intendit (nisi aliquo fortasse actu contrario præscriptio interrupta esse à Coadjutore demonstraretur) ex quibus Actis Capituli intentio probaretur modo documenta in judicio exhibita cum Archetypo conuenire constaret. Iis etenim perspicuum est Capitulum octoginta ab hinc annis ejusmodi institutionis actus quàm plurimos feciſſe ipsis scientibus, nec contradicentibus, imò verò consentientibus Episcopis. Quapropter Nos iura Episcopi, & Capituli sarta, tecta, tueri cupien. ordinamus, ut utraque

traque parte præſente exempla Canonicorum (ut præfertur) inſtitutiones continentia cum Archetypis legitimè conferantur, quæ ſi ex toto in ſubſtantialibus conueniant, nec interim legitimè aliquid opponatur, quod hujuſmodi præſcriptionem interruptam eſſe oſtendat, etiam nunc declaramus ex hac præſcripta conſuetudine continuatis actibus comprobata Capitulo Varmien. inſtituendi Canonicos in menſibus Ordinarij, à ſe legitimè electos ius quæſitum eſſe &c.

Et tandem concluditur.

C

Cæterùm pacta contrà Eccleſiæ libertatem facta minimè ſeruanda ſunt, quin Principum etiam Conſtitutionibus inania, & irrita eſſe ſolent; faciantque contrà Eccleſiæ incolumitatem Canonici, & Capitulum, ſi certis obſtringantur pactionibus, quibus alienationi Bonorum immobilium ipſius Eccleſiæ conſentiant; Huc etiam accedit, quòd ipſe Epiſcopus citrà periurij notam hujuſmodi Bona alienare nequaquam poteſt, niſi ex Summi Pontificis permiſſu certæ iuris ſolemnitates accedant; Quamobrem niſi iis obſeruatis, perpetuum ſuper hac re Coadiutori ſilentium imponimus.

Pacta ledentia Eccleſiæ libertatem absque Sedis Apoſtolicæ conſenſu cum quocunque inita, declarantur pro nullis, & irritis ipſo iure.

Ego Vincentius Epiſcopus Montis Regalis Nuncius Apoſtolicus ità pronunciaui.

Sequitur eiusdem ſententiæ Inſtrumentum acceptationis factæ ab ipſis Partibus, & legalitas Notarij in forma &c.

S. PIVS PAPA V.

Venerabili Fratri Staniſlao Epiſcopo Vladiſlauien. &c.

D

Certiores facti non ſine magno animi dolore *Eccleſiam Varmien.* nonnullo in periculo amittendorum Bonorum ſuorum verſari, quibus occupandis quidam

S. Pius V. ſolicitus de præſeruatione Iurium, & Bono-

rum Eccleſiæ Varmien. ejus curam impensè commendat Epiſcopo Vladislauien. cui tunc primarias partes apud Regem Poloniæ obire incumbebat.

dam iſthic praua incenſi cupiditate inhiare dicuntur; valde pro ea, quæ Nobis ab Omnipotenti Deo cõmiſſa eſt Eccleſiarum ſolicitudine, animo commoti ſumus. Itaque faciendum Nobis exiſtimauimus, ut has ad Fraternitatem Tuam literas illicò daremus, quibus Te; ſi modò ea vera ſunt, quæ accepimus; ad omnia ejus Eccleſiæ *Iura ac Poſſeſſiones*, conſilio, auctoritate, ſuffragationeque tua tuendas & quantum in Te eſt, incolumes, atque integras præſtandas hortamur. Illud etiam Fraternitatem Tuam curare cupimus, ut ejuſdem Eccleſiæ à Sereniſſimo Poloniæ Rege, & ab Ampliſſimo Regni Senatu, maior aliquantò ratio habeatur, quàm quanta adhuc habita eſſe dicitur: Quod quamuis ipſam, pro eo quod debet, rebus Eccleſiaſticis tuendis officio, diligenter facturam eſſe ſperemus, tamen eo animi noſtri ſtudio ab ea petimus, ut vel in hoc ipſo, quanti Nos, Sanctamq; hanc Sedem Apoſtolicam faciat, eam Nobis declarare velimus: Id enim officium, præterquam erit æquitate, bonitateque Tua digniſſimum, Nobis præterea gratiſſimum, acceptiſſimumque eſt futurum, cui Nos officio paternæ noſtræ erga Te voluntatis indicijs idonea occaſione oblata, ſemper libenterq; reſpondebimus. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris &c. Ex Libris epiſtolarum Illuſtrium Virorum à Stanislao Carncouio Epiſcopo Vladislauien. edit. Cracouiæ 1578. & relat. *in tom. 2. Hiſt. Pol. Io: Dlugoſſi.* Lipſiæ anno 1712.

E

Varmia ſub peculiari cura eſt Sedis Apo-

Claræ memoriæ And. Chryſoſt. Załuski Epiſcopus Varmien., ſimulque Supremus Regni Poloniæ Cancellarius *in Paſtorali ſua epiſtola* ad Clerum, uniuerſumque

ſumque Populum Varmien. edita anno 1699. *tom. 3. rerum Polonicarum fol.* 770. inter ejus opera relata, ſic habet: *Nunquam recordationi noſtræ excidere potuit, quanta omnibus retro ſæculis cura, & ſolicitudine Sancta Sedes Varmiam tanquam ſingularem Vaticanæ Religionis gemmam, undique inbiantibus Acatholicis obſeſſam tutata fuerit; tot olim ſuarum curarum impenſis à Crucigeris Theutonibus gloriosè vindicatam &c.*

ſtolicæ, quæ opitulante conquiſita fuit.

Compilatio excerptorum ex variis Hiſtoriographis præcipuè Polonis, qui Senatorio, aut Regij miniſterij munere functi, ſeu juri dicendo in Regno Poloniæ adhibiti, teſtificantur luculenter Eccleſiæ Varmien. naturalem libertatem, jusque eligendi Epiſcopum de gremio Capituli, aliaque illius Priuilegia.

Num. 27.

Eccleſia Varmien. fundata atque largiter dotata eſt ex beneficentia Summorum Pontificum.

Per Chronica Pruſſica univerſim celebratur fundatio, & erectio Eccleſiæ, & Epiſcopatus Varmien. ſub Innocentio IV. Papa, in ea Pruſſicæ oræ portione, quæ obtigit Sanctæ Sedi in diviſione Terrarum Pruſſiæ, quæ à Summis Pontificibus conflato ſacro Bello, accerſitisque Militiis Inclyti Ordinis Theutonici communiter acquiſitæ, & in poteſtatem prædicti Sacri Ordinis redactæ fuerunt, auſpicante etiam Friderico II. Imperatore, & adſtipulante Conrado Maſoviæ, & Cujaviæ Duce ſub initium ſæculi XIII. poſt profligatos, & diuturno Bello expulſos ex eadem Pruſſia Barbaros Infideles, atque infeſtiſſimos finitimis Chriſtianis.

Ejuſmodi res geſta non ſolùm palàm eſt ex Diplomatibus Pontificum, Imperatorum, & Regum hoc Summario recenſitis, ſed inſuper comprobatur monumentis Chronographorum, & inter vetuſti-

ores Petrus de Dusburg Chronico Prussiæ, eruditissimis notis *Christoph. Hartknoch illustrato, editoque Francofurti, & Lipsiæ anno* 1679. *Par.* 2. *cap.* 6., ibi: *Cùm autem destructio Terræ Poloniæ per clamorosam insinuationem Ducis* (*Conradi Masouiæ, & Cujauiæ Principis*) *ad notitiam Romanæ Curiæ deueniret, Sanctiss. P. D. Gregorius IX. Papa compatiens ei, & præcauens periculis in futurum, omnem ordinationem cum Fratribus Domus Theutonicæ tamquam ritè, & rationabiliter factam, in nomine Domini confirmauit injungens dictis Fratribus, ut vindicarent injurias Domini, & Terras Christianis debitas recuperarent ab Infidelibus occupatas, exhortans eos ad Bellum &c.*

Idem Petrus Dusburg dicta Parte 2. *cap.* 5. refert Diploma Gregorii IX. Pontificis, quo conceditur Ordini Theutonico, ut à Paganis recuperata, retineat, qui Pontifex promisit se consilio, & auxilio eidem Ordini adfuturum. Refert quoque aliud Diploma Friderici II. Imperatoris pariter favore dicti Ordinis, & donationem ei factam à Conrado Duce Masoviæ.

Item par. 3. *cap.* 33. *de Legato Sedis Apostolicæ, & de divisione acquisitæ Terræ Prussiæ, ac fundatione Episcopatus Varmien.*, & latiùs *in Animadversione ad idem cap. Christoph. Hartknoch.* Eadem recensèt *Matth. Miechovius Doctor Canonicus Cracovien. suo Chronico rerum Poloniæ relat. à Nicolao Zalaszowski lib.* 1. *de Iure Regni Poloniæ tit.* 26. *edit. Posnaniæ anno* 1699. *Io: Dlugossus designatus Archiepiscopus Leopolien. tom.* 1. *lib.* 6. *Annal. Polon. Mart. Cromer. de rebus gestis Polonorum lib.* 7., *& 8. circa fin. Stanislaus Sarnicius lib.* 6. *Annal. fol.* 272. *Gaspar Schazius lib.* 1. *Chronic. Prussiæ fol.* 17. *Simon Grunovius Hist. Prussiæ tract.* 6. *Io: Plastvich*

Plaſtvich in ipſo initio ſui Chronici Varmien., aliiq; quorum teſtimonio uniformi Varmia dicitur acquiſita, & ibi fundata Eccleſia ſummorum Pontificum operâ.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. tom. 13. ad ann. 1236. *n. 16.*

A

Literæ Pontificiæ ad Guilhelmum Epiſcopum Mutinen. Sanctæ Sedis Legatũ in Pruſſia, cũ facultate limitandi Terras de Barbarís recuperatas, pro fundatione Epiſcopatus &c. lib. 10. ep. 88.

Non in Meridionalibus modò Regionibus, verùm in Septentrionalibus etiam amplificata eſt religio: tot enim in Pruſſia Populi illatum Evangelii lumen admisêre, ut plures jam in ea admitti Epiſcopatus poſſent, quo accepto Gregorius (IX.) Guillelmo Epiſcopo quondam Mutinenſi Apoſtolicæ Sedis Legato in mandatis dedit, ut de aliquorum conſilio limites, cuique Epiſcopatui præſcriberet, ac definiret &c. - *Cum exultatione ſpiritus intellecto, quod Divina faciente potentia tantum de Pruſſiæ partibus ſit Chriſtiano dominio ſubjugatum, ut ibidem poſſent limitari Diœceſes, & Epiſcopi inſtitui, ac eiſdem congruis de Bonis temporalibus provideri, præſentium tibi auctoritate concedimus, ut Deum habendo præ oculis de conſilio, & aſſenſu dilecti Filii Præceptoris, & Fratrum Sanctæ Mariæ Theutonicorum in partibus illis morantium, in eiſdem partibus limitare Diœceſes, & tres de Fratribus Ordinis Prædicatorum dumtaxat ibidem inſtituere valeas, ac eoſdem etiam adſcito Canonico Epiſcoporum numero conſecrare. Dat. Interamne* 3. *Kal. Iunii Pontificatus anno* 10.

B

Æneas Sylv. Card. Picolomineus Epiſcopus Varmien.

ÆNEAS SYLVIVS S. R. E. Cardinalis Piccolomineus Epiſcopus Senenſis, & Varmienſis, qui celebres in Germania, & Pruſſia Legationes obivit, poſteà aſſumptus ad Papatum, dictusq; Pius II. *In ſuo tract. de Europa cap. Pruſſia* - ſic habet: Pruſſia, quam longa eſt percurrit Viſtula fluvius Gedanum

num usque, vulgò *Danzig*, quo in loco Baltheum Mare influit, quod ultra hunc fluvium est, Sarmatici Iuris fuit, quod citra, Germanici. Ad Meridiem *Masovitæ*, *Polonique* rura colunt; Occidentem *Saxones* occupant. Aquilonem *Baltici* Maris excipit littus. *Vlmigeros* olim hanc Terram incoluisse Iornandes tradidit, quo tempore *Gothi* ab Insula *Scandavia* in continentem descenderunt, qui Vlmigerorum Terras invaserunt. *Barbara* hæc Gens, & Idolorum cultrix usq; ad *Fridericum* Imperatorem hujus nominis secundum fuit. Sub ejus verò Imperio *Fratres Theutonici* Viri Nobiles sumptis armis quicquid Pruthenici juris citrà Vistulam fuit, occupavêre &c. Bellum pluribus annis productum est, ad extremum fortuna dictorum Fratrum imperio arridens, *omnem eis Prussiam subjecit*. Ex illo tempore *lingva Theutonica* introducta est, & cultus Christi gentibus illis imperatus: Ecclesiæ quoque Pontificales erectæ, trans Vistulam *Pomesanienſis*, *Culmenſis*, *Sambienſis*, *& Varmienſis*, ad quam defuncto *Francisco* Episcopo, parvitatem nostram *postulauerunt* Canonici, Calixtus Pontifex Maximus eam Nobis, annuente Senatu Apostolico commendavit: *Quæ una est in illis partibus jure suo utens, nec uspiam subjecta Fratribus Theutonicis &c.* *Idem Æneas Sylvius in Commentariis rerum memorabilium sui temporis, publicatis post adeptum Papatum lib. 1. circa initium, pag. 28. in recentiori editione Francofurti anni 1614.* tradit, ut sequitur- *In Prussia*, quæ olim Vlmigeria dicta est, & ad Mare Baltheum jacet Ecclesia nobilis, ac prædives, quam *Varmiensem* vocant, multis Arcibus, & Oppidis, ac latissimo imperio potens; sed orto inter Beatæ Mariæ Theuto-

C *Prussiam totam subjugauit Ordo Militaris Theutonicus.*

D *Episcopatus Varmiensis in Prussia est sui liberi juris, & dominij.*

Honorifica mentio Ecclesiæ Varmien. in Commentariis Pii II. Papæ.

Theutonicos, qui Prussiæ dominabantur, & Regem Poloniæ (ad quem Prutheni defecerant) crudeli, & asperrimo Bello, Ecclesia ipsa admodum defecit, partem Theutonibus, partem Polonis ad se trahentibus, & Villas, atque Oppida diripientibus. Obiit interea Franciscus ejus Ecclesiæ Episcopus; Canonicorum pars magna Æneam sibi Episcopum *postulavit*, pars altera bifariam diuisa est, & quidam Luticonem Regis Poloniæ Consiliarium *elegerunt*, quidam alium Theutonibus adhærentem: Possessio Ecclesiæ à principio Laticoni data est, sed cùm Calixtus Papa Canonicorum *postulationi* annuens administrationem Ecclesiæ Æneæ (Cardinali Senensi) commendasset, possessio quoque ad ejus Procuratorem delata est ejus partis, quam Luticonus obtinuerat, qui minimè ausus est Cardinali adversari; Æneas exindè Pontificatum Max. assecutus. Paulum Legendorfum ei Ecclesiæ præfecit, qui absq; Aduersario, ad hunc usque diem illam gubernat.

Idem Card. Piccolomineo implorat fauorem Imperatoris, & Regis Poloniæ pro assequenda expeditiùs possessione Ecclesiæ Varmien.

Idem Æneas Sylvius in epistolis de tempore sui Cardinalatus editis videlicet *epist.* 291. ad Imperatorem scribens gratias refert Majestati Suæ pro Literis ad Sanctissimum Dominum Nostrum, & Sacrum Collegium super facto *Varmiensis Ecclesiæ* in ejus favorem, missis, & petit, ut dignetur quoque scribere ad Regem Poloniæ, quatenùs possessionem illius Ecclesiæ expeditiùs assequi possit.

Aliis ibidem epistolis, idem petit à Rege Poloniæ, Hungariæ, & pluribus aliis subsequentibus in eadem materia ad Ministros Aulæ Cæsareæ datis, urget eorum officia pro opportuniori effectu adipiscendæ possessionis ejusdem Ecclesiæ Varmien.

E *Eccleſia Varmien. gaudet iure Concordatorum Germaniæ.*

Idem Æneas Sylvius Cardinalis in ſua epiſtola Apologetica ad Martinum Mayr Cancellarium Moguntinum de uſu concordatorum Germaniæ *fol.* 676., lato calamo recenſet Eccleſias Cathedrales, in quibus Sedes Apoſtolica defert *electionibus, ſeu poſtulationibus Capitularibus*, adnumeratque inter eas *Eccleſiam Varmien.* enarrando ſuimet ipſius eo modo per Canonicos Varmienſes factam *poſtulationem* ad dictam Eccleſiam vacantem per obitum Franciſci Epiſcopi.

Soli Summo Pontifici ſubeſt.

Stanislaus Cardinalis Hoſius in Concilio Tridentino Præſidens Sanctæ Sedis Legatus S. R. E. Pœnitentiarius Maior, & ex Natione Polonica primus Varmienſis Epiſcopus, in ſuis Tractatibus Polemico-Dogmaticis Gregorio XIII. Pontifici dicatis, editisque Venetijs anno 1573., inque eiuſdem ſui Libri Præfatione ad Henricum Poloniæ Regem narrat *Eccleſiam Varmienſem ſoli Pontifici Maximo eſſe ſubiectam*, & hanc rationem ſui, ſuæque Eccleſiæ exemptionis, & independentiæ ſeſe allegaſſe, cùm euocatus fuiſſet ad Synodum generalem Epiſcoporum Poloniæ, quam congregaverat Archiepiſcopus Gneſnen. Metropolitanus, & Primas in uniuerſo Poloniæ Regno.

F *Metropolitani Gneſnen. (uti Sedis Apoſtol. Legati perpetui) auctoritati ſubordinantur omnes Eccleſiæ etiam Archi-Epiſcopales Regni*

Hujuſmodi exemptionis quoad Varmiam auget ſpeciem, quòd ad Prouinciam, & iuriſdictionem Archi-Epiſcopi Gneſnen. ex ſpeciali prærogatiua (quia eſt Legatus perpetuus, ſeu ut vulgò dicitur, Legatus natus Sedis Apoſtolicæ) pertinent omnes Epiſcopi vniuerſi Regni Poloniæ, & quamvis alter eiuſdem Regni Archi-Epiſcopus Leopolienſis ſuam habeat Prouinciam à Gneſnenſi diſtinctam, tamen & ipſe, atque eius Suffraganei Epiſcopi auctoritatem

tem agnoſcunt Archi-Epiſcopi Gneſnen. tam in prouocationibus, & judicijs, quàm in Synodis ad quas ab illo euocantur, uti teſtatur *Mart. Cromerus lib. de Reb., & Magiſtratibus Pol. relat. in corpore Hiſt. Pol. Hiſtoriÿ pag.* 108., & 113.

Poloniæ, inter quas non comprehenditur Eccleſia Varmien., quæ illis nullo titulo adjici potuit, nam diuerſi iuris cenſetur.

Hinc cùm Varmienſis Epiſcopus nullius ſubiectionis nomine teneatur, viſum fuit, ut coaleſcere deberet Poloniæ alia ratione; Et eapropter in Synodo Gneſnenſi ſub Archi-Epiſcopo Laurentio Gembicki anno 1621. Petricouiæ celebrata *cap. 4.* ſic habetur: *Quoniam Sacri Concilij Tridentini ſeſſio* 24. *de reformat. cap.* 2. *de Epiſcopis*, qui nulli Archi-Epiſcopo ſubſunt diſponit, quòd ipſi debeant ſibi eligere viciniorem Metropolitanum, à quo ad Synodum Prouincialem vocati, *quamuis non iure ſubiectionis, ſed iure electionis venire*, & omnia in Synodo Statuta obſeruari facere debeant, ſupplicandum Sanctiſſimo Domino Noſtro eſſe cenſuit, ut Sua Sanctitas mandet Reuerendiſſimo D. Epiſcopo Varmien. ipſiusque Capitulo, qui iam pridem ad Sacroſancta huiuſmodi Concilii decreta obſeruanda ſeſe iuramento obſtrinxerunt, in legem Concilij hoc ipſo committant, dum Metropolitanum Gneſnen. quo viciniorem neminem alium habent, ad Synodales actiones, ipſam etiam Varmien. Eccleſiam concernentes, eligere negligunt refert *Nicolaus Zalaſzowski de Iure Polonico tom.* 1. *tit.* 26.

Huiuſmodi autem petitio utpotè incongrua Varmienſis Eccleſiæ naturæ, & libertati non fuit admiſſa.

Martinus Cromerus Regni Poloniæ Senator, & Religioſiſſ. Antiſtes, qui obtinet Principem locum in Hiſtoria Polonica, quam ſcripſit mandante Sigiſmundo Auguſto Poloniæ Rege in eius miniſterio

existens, ut profitetur *in Præfatione operis distributi in duos lib. de situ, Populis, & Magistrat. Reipub. Pol. relat. in corp. Historiæ Polonicæ suprà recensito.* De Varmia utpotè parte Prussiæ, sparsim habet, quæ sequuntur.

G

Varmiæ Populus ex progenie Germanica.

Lib. 1. circà initium pag. 77. Deletis penè priscis Prussis à Germanici sanguinis hominibus habitatur, & regitur.

Dicitur Ermelandia Idiomate suo vernaculo.

Eodem lib. pag. 79. Olim Prussia priusquam sub jugum Christi missa esset, alios fines habuit, fuit autem decem Regionibus, siue tractibus descripta videlicèt Pomesanienſi &c. Erminio, siue Varmienſi, qui retinet etiam nunc in lingua Germanica vetus nomen, & Ermeland vocatur &c., & superiùs aliquot lineis- *Varmia, & ipsa pars est Prussiæ Regiæ ferè cincta undique Prussia Ducali &c., nec in ulla satrapia censetur, subiecta Episcopo suo, & Ecclesiæ eius Collegio Regis Poloniæ Maiestatem agnoscentibus.*

Cingitur Prussia Ducali seu Brandeburgica, & soli suo paret Episcopo atq; Capitulo.

Præcipua Oppida Varmienſia partim Episcopalis, partimq; Capitularis iurisdictionis.

Pag. 87. Oppida præclara memorat= „ Heilsberga ‚Episcopi Varmien. domicilium; Cathedra enim su- ‚prà Fraumburgum est, initio autem fuerat collo- ‚cata Brunsbergæ; quod ipsum quoque Oppidum ‚geminum, permunitum, & frequens, copiosumq; ‚est, ita ut inter primarias Vrbes Prussiæ numerari ‚queat, quam nuper Vir amplissimus Stanislaus ‚Hosius S. R. E. Cardinalis, & Varmienſis Episco- ‚pus, unà cum Sacro ejus ipsius Ecclesiæ Collegio, ‚studiis literarum, atque doctrinæ nobiliorem red- ‚didit: iis Oppidis non multùm cedunt Gutstadia, ‚Allenstenium, Resla, Vormditta, Melsacum, Var- ‚tenberga, Seburgum in eodem Tractu, ac Ditio- ‚ne Varmien.

Pag. 115., Præmissa juxtà recentiorem Geographiam, divisione Prussiæ in Regalem, & Ducalem, seu Brande-

,Brandeburgicam, ſubjungit: Ea pars Pruſſiæ, quæ
,nunc Ducalis dicitur, ex eo tempore quo deviſtis
,Barbaris Populis ſub jugum Chriſti miſſa eſt, ſi-
,mul cum Epiſcopis ſuis Sambienſi, & Pomeſani-
,enſi ad noſtra uſque tempora Ordini Theutoni-
,corum Crucigerorum Militiæ Hieroſolymitanæ
,paruit, cujus Ordinis Præſes Magiſter Generalis;
,Socii verò, & Præfecti Territoriorum Præcepto-
,res, & Commendatores appellati ſunt. Qui cùm
,pro Amicis, & Sociis, Polonorum hoſtes facti eſ-
,ſent, atque armis eorum adacti &c. unà cum Epi-
,ſcopis in verba Regis Poloni jurarunt, & aliquam-
,diu Majeſtatem ejus comiter conſeruarunt; ſed
,cùm id aliquoties, ad extremum, noſtrâ memo-
,ria Alberto Marchione Brandeburgenſi Magiſtro,
,Viro Excelſi animi, & rei Militaris perito, detra-
,ctaſſent; Sigiſmundus Rex Senior, ut ſe, & poſte-
,ros ſuos illa perpetua defectionum, bellorumque
,moleſtiâ liberaret & Poloniæ tranquillitatem ma-
,iorem præſtaret, eis bello ad neceſſitatem dediti-
,onis redactis, & partim decedentibus è Pruſſia,
,partim habitu, & religione abjecta manentibus,
,illum ipſum Albertum ſororis ſuæ filium, pro Ma-
,giſtro, Ducem in Pruſſia iuſſit eſſe &c. Ex eo igi-
,tur tempore pars illa Pruſſiæ ampla, & copioſa,
,duorumque præfatorum Epiſcopatuum ſuppreſſi-
,one auctior, ſub Duce eſſe cœpit &c. Vtinam is
,Sacra intacta reliquiſſet &c. Regia verò Pruſſia,
,ex quo à Crucigerorum imperio ad Polonum no-
,men, ante centum annos ſeſe recepit, recepta ea
,eſt à Polonis in Societatem iuris, & Reipublicæ &c.
,Regiam autem appellamus, quæ Regi Polonorum
,ſubiecta eſt; Cuius partes primariæ ſunt Culmen-

H

Pruſſia olim Theutonica.

I

Marchio Albertus ultimus in Pruſſia Magiſter Ordinis Theutonici, & primus Dux ſæcularis in eadem Pruſſia à Sigiſmundo Rege Poloniæ creatus anno 1526.

Pruſſia Regia, ſeu Polonica. Cui Varmia conſentit, cohæretq; æquâ unione, & ſuo libero iure utens.

Nec antea agnouerat dominium Theutonici Ordinis utpotè soli Romano Pontifici subiacens in spiritualibus, & temporalibus.

,sis, Mariæburgensis, & Pomerania citerior. His ad-
,numeratur etiam Varmiensis Episcopatus, qui li-
,cèt Episcopo, & Collegio, siue Capitulo prorsùs
,immediatè subiectus sit, nec omnia cum Superio-
,ribus eius (Prussiæ) partibus habeat communia;
,quemadmodùm paulò explicabimus; non segregat
,tamen sese à Regia, Priuilegijs suis utens, & fru-
,ens &c. In eo Episcopatu Pius V. Pontifex Ma-
,ximus ultrò petente D. Sigismundo Augusto Re-
,ge, Amplissimo Cardinali Hosio, Coadiutorem me
,dedit, Successoremque designauit, & Collegium
,acceptauit= Est Princeps Senatus Prussici Varmi-
,ensis Episcopus &c., qui nunc in nulla Prouincia
,censetur, & soli subest in rebus Ecclesiasticis Ro-
,mano Pontifici, Magistri, & Ordinis (Theutonici)
,dominatum nunquam agnouit, amicitiam, & so-
,cietatem, cùm & ipse, plerumque Germanici esset
,sanguinis, libenter coluit, nec sine malo ac detri-
,mento suo, & suæ Ecclesiæ; ad Regnum verò Po-
,loniæ post reliquam Prussiam, peculiaribus pactis
,cum Rege Casimiro initis sese adiunxit.

K

Episcopi Varmien. superiori tempore, ut plurimum Germanicæ Nationis fuerunt.

Posterius autem Poloniæ sese addixerunt peculiaribus dumtaxat pactis, quibus Ecclesiæ proprium ius, & libertas tolli non poterat.

Pag. 118. Post recensitas Prussiæ Primarias Satrapias, seu Regionum Præfecturas transit ad Varmien: Hæc quidem, ait, *in nulla censetur Satrapia; Vno autem, & non interpolato ambitu, in modum Principatus, Bona certis finibus peculiariter circumscripta, & arcibus, atq; Oppidis exculta habet: eaq; sic diuisa, ut duas partes Episcopus, tertiam Collegium, siue Capitulum obtineat; in iis utriq; subjectam nobilitatem habent, & liberam jurisdictionem ab omni Regiorum Magistratuum jurisdictione exemptam*, & paulò infrà: *Bartena quoq; Terra, & Natangia antea ejusdem Episcopatus jurisdictioni subjecta fuisse, & suprà sex millia Mansorum Episcopo*

L

Varmien. Episcopatus ad

ſcopo Varmien. per iniuriam, Crucigerorum detracta eſſe memorantur &c. Subditi Epiſcopi, & Collegii Varmienſis &c. habent etiam peculiaria inſtituta, quæ germanicè Landsordnung, hoc eſt terreſtres Conſtitutiones vocant, & Conventus communes habent: Ad eas autem nobilitas, Ciuitates, & Sculteti cum liberis (qui ſunt medii quodammodò inter Nobilium, & Ruſticanorum Agricolarum Ordinem) euocati, pro ſe quiq; binos, vel plures etiam è ſingulis Territoriis Legatos, ſiue Procuratores mittunt, iis de rebus, quæ in conſultationem veniunt, cum *Epiſcopo, & Deputatis Collegii conſtituturos.*

Eadem pagina. De Prælatorum, & Canonicorum Varmienſium creatione differendo ait: *Prælatos, & Canonicos &c. Collegium (Cathedrale) unà cum Epiſcopo eligit alternis menſibus, excepto Præpoſito, qui à Rege præſentatur, ab Epiſcopo præficitur, ſed neq; is, neq; cæteri tres Prælati (ſeu Dignitates) locum, & ſuffragium habent in Collegio, ſiue Capitulo, niſi ſint etiam Canonici.* Ulteriùs refert de Epiſcopo Culmenſi, quòd ut cæteri Pruſſiæ Epiſcopi, à ſolo Rege deſignatur, & à Pontifice Maximo creatur; indè recenſet diuerſum eſſe de Epiſcopo Varmien., de quo ait: *Ex pacto recentiori, è quatuor Canonicis indigenis à Rege propoſitis, unus ab ejus ipſius Eccleſiæ Collegio deligitur, Deindè hic quoque à Pontifice renunciatur, & confirmatur; ac tum demùm Sacris Pontificalibus ad præſcriptum Sacrorum Canonum initiatur.* Indè tranſit ad Ciuitates Pruſſicas, de quibus perindè, ac de Varmienſibus ait, quod *à Decurionibus, ſeu Conſulibus, & quidem Germanicæ linguæ, & ſanguinis (Polonos enim pro externis habent) reguntur.* Et paucis interjectis adjicit de *Brunsberga* (quæ eſt vetus

nullam Regiæ Pruſſiæ Præfectum pertinet in temporali, nam Varmien. Ditionis omnis poteſtas eſt penes Epiſcopum Principem, & Collegium Canonicorum bipartita.

M

Capitulũ Varmienſe confert vacantes ſuæ Eccleſiæ Canonicatus ſimultaneè cũ Epiſcopo alternis mẽſibus

N

Epiſcopo Varmien. iuxta recentiorem pactũ ex quatuor Candidatis eligitur à Capitulo, & à Pontifice confirmatur.

O

Varmienſem Regionem incolunt Germanicæ ſtirpes.

vetus Varmiæ Metropolis). Quòd in ea Ciuitate *pars Consulum, loco Scabinorum judicia exercet.*

Pag. 119. Recenſet, quod *à judiciis Terrarum Pruſſiæ Prouocatio eſt ad totius Prußiæ Conſilium, ſeu Comitia, inde verò ad Regem;* De Varmia autem prorsùs aliter cenſendum eſſe, nam ibidem ait: *Varmienſis Epiſcopi ſubditi nihil habent negotii cum Comitiis Pruſſiæ: Solus iis intereſt, & præeſt Epiſcopus,* nempe ut Regni Poloniæ Senator. *Ipſius verò Epiſcopatus Varmienſis Incolæ & Subditi in eorum generali Conuentu, arbitratu ſuo, præeunte authoritate Epiſcopi, & Capituli, peculiares leges, & ordinationes ſibi condunt, & tributa imperant, aliaque onera in uſus publicos Vrbium ſuarum, adhibitis Capitibus, & quaſi Tribunis Plebis.*

P

Decernendi tributi poteſtas in ipſa Varmienſi Prouincia. Et ſuprema iurisdictio in cauſis ſæcularibus.

Circa judicia Vrbana, & Terreſtria, quæ exercent Magiſtratus Sæculares, iam præcedenter expoſuit, quòd non datur legitima prouocatio, niſi ſeruatis appellationum gradibus, ad Epiſcopum Principem, *qui cum ſuo Collegio Cathedrali habet utramque jurisdictionem, & ſummam poteſtatem in ſuos. Cæterùm nobilitas omnis, Ciuitates, & Aduocatus generalis (qui Iudex perpetuus eſt in cauſis Terreſtribus, & Sanguinariis) jurejurando partim Epiſcopo, & partim Collegio fidem ſuam obſtringunt. Ibidem lib. 2. de Magiſtratibus.*

Vaſalli iuramentum fidelitatis præſtant tum Epiſcopo, tum Capitulo.

Thomas à Lubimierz Polonus Familiaris intimus olim Cardinalis Stanislai Hoſii, & Canonicus Baſilicæ Sanctæ Mariæ Transtyberim, atq; Regens Sacræ Pœnitentiariæ ſub eodem Cardinali Hoſio, à quo communicatis ſibi antiquis Codicibus ex Tabulariis Regni Poloniæ, & ipſius Varmiæ, hauſit Hiſtoriam, quam de Epiſcopatu, & Epiſcopis Varmienſibus edidit Cracoviæ in Regia Typographia

graphia anno 1685., quantumuis rebus Polonicis se prodat esse fauentiorem, non diffitetur ipso initio sui Libri *tit. Fundatio Ecclesiæ Varmiensis*, quòd eadem Ecclesia erecta sit, atque dotata à Summo Pontifice in Ditione Prussiæ, quæ fuit Sacro Bello Sedi Apostolicæ per Theutonicum Militarem Ordinem acquisita, ut latiùs dicto Libro.

Q
Varmia est Ditio Pontificia.

Idem per tot. Recenset longâ serie Antistites, qui ad eam Cathedram assumpti fuerunt de gremio Capituli habentis jus eligendi suum Episcopum.

Capitulares electiones semper seruatæ sunt.

Pag. 18. Post vitam Joannis in ordine Varmien. Episcoporum VIII. refert, quòd Episcopatus Varmien. incorporatus fuerit à Carolo IV. Sacro Romano Imperio, ut illius protectione tutior permaneret, *Idem confirmat in vita Nicolai Episcopi pag. 57.*

Episcopus Princeps Sacri Romani Imperii.

Pag. 32., & 33. Et alibi passim recenset Episcopos Varmienses, qui recursus suos ad Imperatores instituendo, in eorum tutelam suscepti fuerunt.

Ab Imperatoribus olim in tutelam fuit susceptus.

Pag. 48. De Paulo XIV. Episcopo Varmien. ait illum se, & Ecclesiam Varmien. tradidisse *Regi Poloniæ tanquam Defensori, & Protectori*, prout latiùs ex pactis. & literis Casimiri Poloniæ Regis anni 1464. inibi indicatis.

Demùm in fidem & Protectionem Regum Poloniæ sese dedit.

R
Pactiones inter Sigismundum Regem, & Capitulum de anno 1512.

Pag. 67. In vita Nicolai Tungeni Episcopi refert, quòd exortis gravibus controversiis cum præfato Casimiro Rege circà liberam electionem Capituli, istius jus Sanctæ Sedis auctoritate tutatum, firmatumque fuit; quamquam posteà sub Sigismundo Jagellonide Rege Poloniæ restrictum, redactumq; fuerit ad quatuor Candidatos de ejusdem Capituli gremio à Serenis. Poloniæ Regibus designandos, eaque praxis deinceps in hunc usque diem servata est, nullo exemplo uspiam in contrarium admisso,

nisi sola ratione Regii Principis, & Cardinalis Joannis Alberti filii Sigismundi III. Poloniæ & Sueciæ Regis, *cujus condigno intuitu intervenerat Gregorii XV. Pontificis mandatum, quo tantus Princeps absolutus fuit à lege Statutorum Ecclesiæ Varmien. de non eligendo Episcopo, nisi aliquo è medio ejusdem Capituli, cujus tamen jus electionis de cætero integrum manſit*, Regiæque recommendationi vota, & suffragia sua Capitulum detulit, uti comprobat Diploma præfati Pontificis superius recensitum *num.* II., & ibi etiam adjecta cautio Regia de non læso jure Capituli. Singularem hunc casum refert idem *Tretterus pag.* 140. & commemorat Paulus Piasiecius eximiæ famæ, & doctrinæ Senator Poloniæ in Historia rerum singularium sui temporis ad annum 1589. edita in folio Cracoviæ, & Amstelodami 1646. *pag.* 91.

Eorundem patrorum recentem observantiam recensent Tractantes de jure Regni Poloniæ.

Nicolaus Zalaszowski accuratissimus modernus Scriptor quatuor Libris complexus universum *Jus Regni Poloniæ in fol. edit. Posnaniæ 1701. lib. I. tit. 26.* recenset ex veteri Chronico Polonorum *Matthiæ Miechovii lib. 3. cap. 35., & lib. 4. cap. 62. & seqq.* atque ex aliis Chronographis Polonicis Prussiam, adeoque Varmiam, quæ ejusdem Prussiæ pars est, acquisitam fuisse armis Theutonicorum annitente primùm Gregorio IX. Summo Pontifice, & ab Innocentio IV. successivè fundatam fuisse Ecclesiam Episcopalem Varmien. concesso pleno dominio temporali, & facultate liberæ electionis Episcopi, quam ex pacto recentiori fieri asserit ab ejusdem Ecclesiæ Capitulo ex quatuor personis Capitularibus nominandis à Rege Poloniæ pro tempore, & ea de re indicat Regium Diploma.

Datum

Datum in Conventu generali ſtatuum Poloniæ anno 1512.

Item eodem ſuprà citato loco dicit: *Præpoſitum Eccleſiæ Varmien.* (*quæ prima Dignitas eſt poſt Pontificalem*) *Rex Poloniæ præſentat: Cæteros Canonicos Capitulum ſimul cum Epiſcopo, alternis menſibus eligunt.* Et paulò poſt addit: *Epiſcopatus Varmien. nobilitatem habet ab omni Regiorum Magiſtratuum jurisdictione exemptam.* *Et libertatem Ditionis Varmien.*

Eandem Varmienſis Epiſcopatus libertatem conteſtatur eruditiſſimus Simon Starowolski *in deſcript. Poloniæ tit. Pruſſia.* Et pleniùs teſtificatur Joannes Plaſtwig in Chronico Epiſcoporum Varmien. deducto uſque ad exitum ſæculi XVI. ſcilicet ad obitum Cardinalis Andreæ Bathorei Epiſcopi Varmien. & Stephani Bathorei Poloniæ Regis ex fratre Nepotis. Vbi in Epiſcoporum ſerie recenſetur eorum electionem à Capitulo de caſu in caſum ſemper fuiſſe peractam, Liberum verò, & independens dominium cum utraque juriſdictione Epiſcopi, & reſpectivè Capituli Varmien. luculenter enunciatur paſſim in toto tenore ejuſdem Hiſtoriæ, & ſignanter in vitis Pauli XIV., & Nicolai XV. Epiſcoporum Varmien., qui omnimodò conati ſunt defendere illius Eccleſiæ libertatem, eamque etiam armis tutari; quorum fortia geſta loquuntur monumenta hiſtorica, etiam celebriorum Scriptorum Polonicorum, quamtumvis iſti Regibus ſuis aliqua honorificè tribuendo, propenſiores ſint rebus ſuæ Patriæ ampliandis; attamen fidei hiſtoricæ, & veritatis ratio non ſinit eos prorsùs reticere Varmienſium Antiſtitum curam, & ſtudium, animiq; robur in tuenda ſuæ Eccleſiæ libertate, proùt neceſſitas tulit, tum pacis artibus, tum etiam bellica

Episcopi Varmienses jura suæ Ecclesiæ strenuè tutati sunt.

fortitudine, ut videre est in Annalibus Polonicis *Ioannis Dlugossi, seu Longini iterùm impressis Lipsiæ anno* 1711. *lib.* 13. *ad annum* 1474., ibi- *Sub idem tempus Nicolaus Tungen (Episcopus Varmien.) faventibus sibi militaribus, & Civitatibus Prussiæ &c. Castra Heilsberg, & Seburg &c. in suam redegit potestatem, totumque Episcopatum Varmien. sibi ademptum, & ejus Civitates ex tunc occupavit.*

Nicolaus de Tungen ritè à Capitulo electus Episcopus Varmien., & à Summo Pontifice confirmatus, fortis animo restitit alteri intruso in Episcopatum.

Martinus Cromerus peritior ejusmodi Episcopalis Belli suo æuo in Varmia gesti, de eo narrat *in sua Chronographia de orig., & rebus gestis Polonorum lib.* 27. *circa finem- Indè (Rex Casimirus) contendit in Prussiam ad res spectantem novas; Etenim Nicolaus Tungenus &c. Episcopatum Varmien. invaserat partim expugnatis, partim per deditionem acceptis munitionibus, in Heilsbergæ oppugnatione hæsit &c. hinc factum est, ut Bellum illud faciliùs à Regis Legatis interciperetur ea lege, ut de controverso Episcopatu Varmien. staretur sententiæ Pontificis Maximi.*

Et lib. 28. circà initium prosequitur- *Nicolaus Tungenus faventibus, & clam incitantibus Prussis &c. (quibus permolestum erat Polonum Varmiæ præfici Episcopatum) cùm plerasque alias Episcopales munitiones obtineret, reliquas quoque nempè Heilsbergam, & Seburgum in potestatem suam per dolum redegerat, nihil moratus promissa sua de expectando judicio Pontificis Maximi &c., neque dimittebat exercitum.*

Eodem lib. 28. circa finem: Ad res deindè Prussicas Rex ,animum intendit ægreferens Nicolaum Tunge-,num, invito se, Varmiensem Episcopatum inva-,sisse, & cum Hungaro ex professo sentire &c. Ma-,gister verò Crucigerorum cum eo, fœdus inierat-,Intereà venit ad Regem Magistri Legatus, suspi-

cione

,cione Magiſtrum purgans- Et ipſe deinde Magi-
,ſter Henricus Richtenbergius &c. contrà Tunge-
,num conſilio, & auxilio ſe Regi non defuturum
,eſſe promiſit. Rex Elbingæ Conuentum Pruſſo-
,rum contra Nicolaum Tungenum inſtituit: Sed
,infecêre conſilia ejus Gedanenſes, & res Vala-
chicæ &c.

T

Pacta cum Caſimiro Rege inita à Pontifice improbata utpotè læſiua libertatis Eccleſiæ.

Lib. 27. ultrà medium= Ad Comitia Petricovienſia Rex
,profectus &c. Legationibus audiendis vacauit.
,Legati à Pontifice Maximo reverſi, expectationi
,non reſponderunt; nam neque pacem Pruſſicam
,Pontifex confirmavit, neque Vincentium Kelbaſ-
,ſam eſſe Varmien. Epiſcopum juſſit, quin etiam
,queſtus eſt de Caſimiro, quòd Hæreticis favere
,videretur.

V

Legationes Hungaricæ pro pacificatione Regis cum Nicolao Epiſcopo.

Lib. 29. ſub initium anni 1479: Rex (Caſimirus) Pe-
,tricouiam rursùs ad Comitia profectus eſt: illuc
,venit ad eum Legatus Matthiæ Regis (Hungariæ)
,petens, ut Conuentum de pace reintegranda &c.
,condictum &c. differret ad Maium &c., & Bel-
,lum Pruſſicum interim intermitteret: quod qui-
,dem identidem repetitis Legationibus Matthias
,urgebat, jam enim receptis munitionibus, Heils-
,bergam primariam Epiſcopi (Varmienſis) Arcem
,permunitam Poloni obſidebant= Grata hæc fuit
,Legatio Caſimiro; itaque licet Tungenum propè
,diem debellatum iri ſperaret &c. juſſit tamen ex-
,ercitum ſuum ab Heilsbergæ obſidione diſcedere,
,& omni Bello abſtinere. Ad Matthiam verò Lega-
,tos &c. cum ſumma poteſtate miſit, ut de Conuentu
,cum illo conſtituerent, & ſpem ipſi facerent, facilè,
,& Magiſtrum (Theutonicum) veniam, & Tunge-
,num alium Epiſcopatum, duosvè pro uno impe-
,traturum eſſe, ſi pax coiret. Eodem

Eodem loco altera pagina ſequitur: Rex Petricouiam rediit, ubi Magiſter quoque Crucigerorum, & Tungenus, & Regiæ Pruſſiæ Conſiliarii affuêre &c, ac Tungenus quidem ad Regis pedes proſtratus veniam impetrauit. Permiſſusque habere Varmienſem Epiſcopatum conſtitutis pactis &c. inter quæ illud: Vt Collegium Sacrum (Varmienſe) nonniſi gratum Regi Epiſcopum ſibi deligat. Quòd tamen ita poſtea mutatum eſt, ut Rex quatuor de Collegio illo indigenas Pruſſos idoneos ederet, de quibus, Collegium quem vellet, Epiſcopum eligeret. Cætera verò pacta (quibus ex arbitrio Regis imponebantur Eccleſiæ incongrua ſubjectionis onera) non juvat jam meminiſſe, etenim uti nullo jure tunc expreſſa ſic nullam deinceps obſeruantiam obtinuerunt, ut patet ex pluribus documentis hoc Summario paſſim recenſitis.

Concordatum de quatuor Canonicis à Rege nominandis pro electione Epiſcopi.

Chriſtophorus Hartknoch ſagaciſſimus rerum Pruſſiæ Inueſtigator in ſuo tract. de Repub. Poloniæ. edit. Lipſiæ 1698. lib. 2. cap. 2 de pactis conuentis, & juribus Regum Poloniæ num. 10. recenſendo motus armorum ſuprà indicatos, ait: „ Sub Caſimiro Iagellonide auctoritas Capitulorum (Cathedralium) decreuiſſe memoratur. Hic enim Rex Sacerdotibus iniquior viſus eſt, adeò ut tum primum liberæ electioni Epiſcoporum vim fuiſſe illatam recentiores Hiſtorici referant, ut narrat Neugebauerus lib. 6. Hiſt. Polon. pag. 368. Iam vix umbra electionis penes Capitula conſpicitur. Quæ turba in Pruſſia propter electionem Epiſcopi olim fuerint ſub Caſimiro prædicto exortæ, teſtari poteſt Bellum Sacerdotale Nicolai

de

,de Tungen Epiſcopi Varmien., de quo fusè Gaſp. ,Schuzius lib. 8. Chron. Pruſſiæ. Thom. Tret-,terus, vel Io: Crezmerus in vitis Epiſcoporum Varmien. &c. *Et paulò poſt ſubjungit.*

Alia teſtificatio de eodem Concordato cum Sigiſmundo Rege.

Finitum tandem eſt illud certamen certa tranſactio-,ne inter Sigiſmundum I. Regem Poloniæ, & Ca-,pitulum Varmien. anno 1512. ut habetur in IVRI-,BVS MVNICIPALIBVS PRVSSIÆ Cod. Thor. ,impreſſo fol. 40. Vigore cujus Rex Capitulo qua-,tuor Canonicos Varmienſes præſentaturum ſe ,promiſit, ex quibus Capitulares uni Dignitatem ,Epiſcopalem conferrent = d. cap. 2, de iurib., & ,poteſt. Regum Pol. pag. 395.

X

Controuerſia inter Caſimirum Regem, & Capitulum Varmien. ſuper libera electione Epiſcopi ad Summum Pontificem delata.

Idem Chriſtoph. Hartknoch, in ſelectis diſſertat. de ,rebus Pruſſiæ impreſſis poſt ſuprà citatum Chro-,nicon. Petri de Dusburg. diſſert. 14. n. 10. tit. ,Schiſma in Epiſcopatu Varmien. = Extincto Paulo ,de Legendaf. Epiſcopo Varmien. Vincentius Kel-,baſſa Epiſcopus Culmen. à Rege Caſimiro in ad-,miniſtratione Epiſcopatus Varmien. ſuffectus eſt; ,Sed à Canonicis interea temporis legitimè eligitur ,Nicolaus à Tungen Canonicus Varmien. &c., isq; ,à Pontifice in Epiſcopum confirmatur &c. Rex ,aduertens Kelbaſſam odioſum eſſe Varmienſibus, ,ei ſubſtituit Oporouium Conſiliarium ſuum, ſed ,& huic adhærentes Nicolai vehementer reſtite-,runt; Controuerſia diu agitata &c. poſtremò ad ,Aulam Pontificis defertur. Inter hæc Oporouius ,armata manu Epiſcopatum occupare nititur, ſed ,repulſus &c. deſtitit = Nicolaus ſocietatem cum ,Magiſtro Ord. Mart. Truchſio init., Bellumque ,Polonis infert, ſed variis cladibus utrinque acce-,ptis, tandem Nicolaus anno 1479. Petricouiam

Capitulum permanſit in poſſeſſione liberæ electionis ſui Epiſcopi.

cum

„cum Mag. Ord. venit, ubi post paucos tractatus, „jurejurando præstito à Rege in gratiam receptus= „Excessit tandem è viuis Nicolaus, & Lucas Vei„selrade à Canonicis electus Episcopus, à Ponti„fice confirmatus fuit, ægrè id ferente Rege, quòd „inscio ipso fuerit ad eam Dignitatem euectus.

De eodem perindè tradit „ Tretterus cap. 16. in ejus „vita, *ibi*= Lucas Veiselrad I. V. D. Canonicus Var„mien. à Capitulo ritè electus Romæ confirmatus, „& consecratus Episcopus in Prussiam veniens pos„sessionem Episcopatûs assecutus est; Rex tamen „Casimirus illi infensus &c., & quia absque scitu „Regis ad Episcopatum promotus fuerat, de eo a„mouendo valdè cogitabat. Sed quoniam vir do„ctus &c., & Senatus Prussiæ ejus defensionem su„sceperat, Rex acquieuit.

Paulus Episcopus Varmien. ad partes Casimiri Poloniæ Regis primus concessit, & exinde cœpit Rex jus sibi parare in Varmiam.

Item in animadversionibus ad Chronicon Prussiæ supra citatus *Hartknochius par. 3. cap. 31.*, recensendo ex *Crom. lib. 26. ad annum 1466.* quòd= *Paulus Episcopus Varmien. cùm animaduerteret res Theutonicorum (in Prussia) declinatas esse, in partes Regis Casimiri concesserit, & Arcium Oppidorumque suorum adeundorum potestatem fecerit Regiis Militiis, ut non solùm ea tuerentur, sed etiam communem hostem infestarent, quæ res Magistro Ordinis peracerba accidit*; subjungit: *Id primam occasionem præbuit Regi Poloniæ parandi sibi iuris in Ecclesiam Varmiensem &c. Cùm verò eodem anno 1466. inter eundem Regem Casimirum, & Crucigeros Theutonicos pax constitisset, cesserunt Crucigeri iuri suo in Ecclesiam Varmien., qui est secundus prætextus in dictum Episcopatum.* Prosequitur fusiùs narrationem controuersiarum, quæ exortæ deinceps fuerunt ob turbatam liberam electionem Capitularem Episcopi Varmien. Pro-

Profectò ità eſt, quòd ſuprafatus Magiſter Ordinis Theutonici infenſus prædicto Paulo Epiſcopo, quia in partes Regis conceſſerat; Eidem Regi ceſſit quoque prætenſum ius ſuum in Varmiam, uti in ſtipulatione pacis præmemoratæ inter Diplomata, & Statuta Regni Polon:, relata à Iacobo Przyluski, ſeu Priluſio in Corp. Hiſt. Polon. cap. 3 tit. Conditiones pacis in Terris Pruſſiæ, habetur: Item ,concordauimus, quòd Varmienſis Eccleſia, & ejus ,Pontifex pro tempore cum ſuo Ven. Capitulo ex ,nunc, & de cætero cum omnibus ſuis Caſtris, Ci-,vitatibus, Oppidis, & munitionibus videlicèt ,Heilsberg, Brunsberg, Vormedit, Seburg, Var-,tenburg, Reſſel, Biſchofſtein, Alleſtein, Gutſtat, ,Melſac, Fraumburg Bisburg, cum omnibus Diſtri-,ctibus, & Nobilibus, & Vaſallis, Villis, Pertinen-,tiis, & Attinentiis ſuis in præfati D. Caſimiri Re-,gis, & Succeſſorum ſuorum Regum, & Regni ,Poloniæ Ditione, ſubjectione, & protectione con-,ſiſtent. Et nos Ludouicus Magiſter, noſtrique ,Succeſſores, Commendatores, & Ordo, ejus ditio-,ni, ſubjectioni, & protectioni expreſsè renuncia-,mus, & omne jus, quod Nobis in prædicta Ec-,cleſia, Epiſcopatu, & Capitulo quomodolibet hac-,tenùs competebat, in præfatum Sereniſſimum Re-,gem, Succeſſores ſuos hæredes Reges; & Regnum ,plenariè transfundimus, & transferimus per ,præſentes.

Veruntamen ejuſmodi ceſſio inanis, & vacua fuerat, & in ſpeciem vanam ingeſta, non ſolùm ob defectum facultatis, ſed magis etiam ex defectu rei ceſſæ, & ex falſa hypotheſi; Etenim Magiſtris Theutonicis nullum jus uſpiam acquiſitum fuit

in Varmienſem Epiſcopatum, qui ex lege fundationis tam in capite quàm in ſuis membris Clero Sæculari conceſſus, nulli diſpoſitioni, ſeu authoritati Regularis Ordinis Theutonici obnoxius erat, uti è conuersò alii Pruſſiæ Episcopatus à ſua origine tam in capite, quàm in membris Regulares effecti pro ſolis Theutonici Ordinis Fratribus erecti, eorumque Patronatui addicti fuerunt, uti in ante recenſitis documentis enunciatum eſt *ſub num. 19. § Nondum.* Varmiæ autem independentiam, plenamque libertatem claris verbis *hoc Summario ſub num. 27. lit. D.* declarat Pius II. qui ante Papatum fuit ejuſdem Varmienſis Eccleſiæ Epiſcopus uti ipſe teſtatur *dicto num. 17. & Cromerus ibidem lit. K.*

Comprobant quoque eandem Varmienſis Eccleſiæ libertatem tot alia graviſſimorum Hiſtoricorum monumenta ſuprà citatà, & ipſemet *Hartknochius non diffitetur in ſuis diſſertationibus de rebus Pruſſiæ poſt Chronicon Disburgi impreſſis, & ſignanter diſſert. 19. de Republ. pruſſorum 11.*, ibi- *Hi Epicopi (Pruſſiæ) auctà Magiſtrorum Theutonicorum potentiâ, fuerunt ſub iugum acti, excepto ſolo Epiſcopo Varmien.; qui ſemper conatibus Magiſtrorum reſtitit.* Et in eiuſdem diſſertationis progreſſu eam Eccleſiæ Varmien. independentiam aliorum Hiſtoricorum teſtimonio firmando ait. *Epiſcopos Varmienſes non eligebat Magiſter Ordinis, ſed hæc poteſtas penes Capitulum Canonicorum eiuſdem Eccleſiæ ſemper fuit, ita ut etiam non denunciata Magiſtro Prioris Epiſcopi morte potuerint Canonici alium in defuncti locum ſufficere.* Et paulò infrà addit: *Nec mirum, quòd ad electionem Epiſcopi Varmien. non concurrerunt Magiſtri, cùm Epiſcopatus ille planè fuerit ab imperio Magiſtri, atque Ordinis immunis.*

Z *Eccleſiæ Varmien. antiqua libertas multipliciter deducitur.*

Quin

Quin etiam omnimoda ejuſdem Epiſcopatûs independentia, ſeparatique dominij ratio potiori argumento elicitur ex contextu & forma. *Perpetui fœderis, & iurisiurandi ſolemniter ſanciti, totiusque Poloniæ Senatus, & Ordinum approbatione, atque omnium, & ſingulorum ſubſcriptione firmati in Conſtitutione pacis Breſtenſis anno* 1436. *inter Vladislaum Poloniæ* (& poſtea Hungariæ) *Regem totumque Poloniæ Regnum eſt una, & Paulum de Ruſdorf Provincialem Magiſtrum Pruſſiæ, ſuumque Ordinem Theutonicorum parte ex altera.* ut habetur *in Annalibus Poloniæ Io: Dlugoſſi, ſeu Longini ſuprà memorati lib. 12. circa initium ad annos* 1435. *&* 1436. *§ Conuentio generalis pro pace in Breſcia.* Et Inſtrumentum ejusdem pacis relatum eſt *inter Iura municipalia Pruſſiæ, & inter Conſtitutiones Regni Poloniæ Iani Januſzonii lib. 7. par. 3. tit. 1. pag.* 842. Et habetur pariter per extenſum *in Relatione de Apoſtaſia Pruthenica, ſeu Pruſſica edit. Moguntiæ anno* 1627. quæ extat *in Bibliotheca Vaticana Cod. num.* 1695.

Porrò in toto tenore prædicti actus expreſsè enunciatur Pruſſia, ut Provincia *tunc ſubjecta dominio Theutonicorum*, ac proindè *de Corpore Imperij Germanici*, ſiquidem quisque Ordinis Theutonici, qui Magiſtratum Provincialem Pruſſiæ geſſit pro Principe Germaniæ agnitus ſemper fuit, atque ſeſſionem in Comitijs Imperij, ac Conventibus ſtatuum habuit, & habet, ut in dicta Relatione latè deducitur.

AA *Pruſſia Theutonica cenſebatur inter Terras Imperij Germanici.*

Ibidem ad extingvendum omnes diſſentionum, & bellorum cauſas inter finitima Poloniæ & Pruſſiæ eo de tempore Theutonicæ dominia, fiunt conventiones ratione finium regendorum, & accuratè deſcribuntur ubique confinia Ditionum utriusq; Partis, ex qua diſlimitatione ab utrinque concordata

BB *Ditio Varmien. extrà fines Poloniæ poſita habetur in deſcriptione finium ſub Regno Vladislai Iagellonidū.*

apparet Varmiam non fuisse comprehensam intrà limites Poloniæ, ut demonstrat ea finium descriptio *dicto Cod. cap. 28. pag. 234.*

CC

Ante Casimirum IV. Poloniæ Regem nusquam reperitur Varmiensis Episcopus recensitus in numero Episcoporum Poloniæ.

Notandum quoque quòd cùm præfata stipulatio pacis subsignata reperiatur tam Regis, quàm omnium Senatorum, & Episcoporum Poloniæ nominibus, inter istos nulla est Episcopi Varmien. subscriptio, qui tunc diversæ Analogiæ erat, & uti neutrius Partis subjectioni obnoxius, fuit adhibitus dumtaxat tanquam mediator illius tractatus, qui etiam pro uno inter arbitros litigiosorum confinium electus fuit, sicut narratur *dicto cap. 28.*

Aliàs quoque exorto iterum bello inter Polonos, & Theutonicos Episcopus Varmien. uti neutralis fungebatur munere Mediatoris inter contendentes, ut habet *Cromerus de rebus gestis Polon. lib. 26. ad annum* 1465. *pag. 767., & seq.*, ibi: *Interea conuentum rursùs à nostris in Neringa cum Crucigeris, & de pace Paulo Legendorfio Varmien. Episcopo, qui neutrarum erat partium electo Arbitro tractatum est.*

Thom. Tretterus in supradicto tract. de Episc. Varmien. pag. 67. recensendo, undè primùm Regibus Poloniæ jus quæsitum fuit in Varmiam ità tradit: *Pervulgatum est Casimirum Iagellonidem Regem Poloniæ liberam Episcoporum electionem &c. usurpata sibi nominatione sustuliſſe.* Indè de Episcopatu Varmien. differendo prosequitur sic: *Jus hoc Regium Ecclesiam Varmien. (quæ liberam retinebat electionem) complecti rebatur, dum Prussia recenter Crucigerorum (Theutonicorum) dominium, & jugum excutiendo, in deditionem, ditionemque ejusdem Regis Casimiri conceſſerat: Eoq; juris quæsiti colore, Nicolaus Tungenus electus à Collegio Canonicorum, & à Sede Romana confirmatus,*

ad

ad aliam Cathedram, transferebatur promovente Rege, atque ei Succeſſorem Albertum Operovium deſignante. Nihilominùs Tungen Summi Pontificis fultus patrocinio, tum & favore Prutbenæ nobilitatus, quæ agreferebat Polonos paſci pane Prutheno, poſſeſſionem Varmienſis Epiſcopatus retinuit. Hinc ille lachryma, quòd Regi fuerit obliquus, quòd cum Rege Hungariæ Matthia, conſilia, & armorum colligationem contra Caſimirum foverit. Tandem pacis tractatu inter Caſimirum, & Matthiam concluſo, Tungenus vigore ejusdem, reconciliationem, & redintegrationem gratiæ Regis Caſimiri obtinuit.

Recenſet eodem contextu conditiones prædictæ pacis, quas ex Regis Caſimiri arbitrio idem Nicolaus Epiſcopus acceperat: Et pro *prima* erat, *quòd Epiſcopus Varmien. cum ſuo Capitulo Regem Poloniæ pro Domino, & Protectore perpetuis temporibus agnoſceret. Secunda*, quòd quilibet Epiſcopus Varmien. *poſt obtentam confirmationem à Sede Apoſtolica*, teneretur Regi fidem, & Homagium jurejurando præſtare. *Itèm*, quòd *Fœdera, & Societatem* cum nullo alio, absque ſcitu, & voluntate Regia quouis prætextu uſpiam inire poſſet, quòd Vaſſallis ab Epiſcopo *in judicijs* gravatis, liberum eſſe deberet ad Regem *provocare, & appellare.* Et demùm, quòd in Epiſcopum is *eligatur*, qui Regiæ Majeſtati *gratus* ſit futurus &c. *His ſub Articulis confecta pace, ſeu fœdere, Sacerdotali bello finis tandem fuit impoſitus.* Hæc Tretteri ipſa verba ſunt *d. tract. pag. 67. & ſeq.* Congeſtis iam tot documentis non ſolùm eorum auctoritate, ſed etiam vigenti obſeruantia roboratis, non videtur eſſe opportunum plura cumulare, ne excreſcant in molem nimij tædij legentium, tantò magis quòd ea, quæ deſumpta ſunt ex præcipuis

Polonicis Scriptoribus (quibus innatum ſtudium eſt augendi ſuæ Patriæ, ſuorumque Regum decora; & iura) mereantur de condigno fidem non ſuſpectam ipſismet Connationalibus Polonis.

DD

Ex multiplici ntione comprobatur, legitima comprehenſio Eccleſiæ Varmien. ſub Concordatis Germaniæ.

Veruntamen ſi ex re fuerit præſentis cauſæ, altiùs deducere, quòd Varmia non incongruè, ſed imò competentiſſimè ſit comprehenſa ſub Concordatis Eccleſiarum *Nationis Germanicæ*, non ſolùm quia totius Varmienſis Regionis Populus *genere, lingua, habitu, inſtitutis, & legibus Germanicus eſt*, ut ex teſtimoniis præcitatis irrefragabiliter conſtat, & concordata prædicta reſpiciunt Regiones *Nationis dumtaxat, non ſubiectionis ſeu dominij Germanici.*

Sed etiam quia de tempore, quo dicta concordata publicata fuerunt à ſan. mem. Nicolao V. ſub anno 1447., & exinde acceptata à Franciſco XII. Epiſcopo Varmien., & uſque ad initia ſæculi XVI. Pruſſia (antequam ceſſiſſet in ius Supremum Regni Poloniæ) adhuc fuerat *ſub actuali dominio Sacri Ordinis Theutonici, ac proinde de Corpore Imperij*; pro hujus veritatis uberiori, & luculentiori comprobatione remiſſivè nos habemus ad conteſtationes judiciales cum interuentu Oratorum Poloniæ, & Magiſtrorum Theutonici Ordinis, in pluribus Comitijs Imperialibus agitatas, quorum acta nè prolixiùs extendamus, tantummodò ſtrictim indicare ſufficiet relata in ſuprà memorato *Codice Vaticano de Apoſtaſia Prutbenica, ſeu Pruſſica num. 6495.* & in altero Libro *inter Codices Biblioth. Alexandrinæ Archigymnaſii Romani ſub lit. MM. num. 132.*, ubi primus titulus eſt *Libellus ſupplicatorius in cauſa Pruſſiæ Sacræ Cæſareæ, ac Regiæ Majeſtatibus, Sacrique Romani Imperij Ordinibus Auguſtæ in Comitiis Imperialibus*

anno

anno Domini 1548. exhibitus à Stanislao in Lasko Palatino Siradiæ Sereniſſ. Regis Poloniæ Legato.

Ibidem num. 4. Sequitur reſponſio ad objecta præcedentis libelli.

Num. 6. Habetur alia informatio præcedenter pro parte Sereniſſimi Regis Poloniæ in eodem negotio Pruſſiæ præſentata in Comitiis Ratisbonæ anno 1532. & ſequitur *num. 7.* Reſponſio Valterij de Cronberg Magiſtri Generalis Ordinis Theutonicorum. In eis referuntur jura dominii Pruſſici, quod antea obtinebat Ordo Theutonicorum, cujus Magiſtri recenſentur inter actuales Sacri Romani Imperij Principes.

Ibidem leguntur inſertæ Literæ plures Pontificiæ, & Imperiales in eadem materia, de qua pleniùs *in dictis Codicibus Vaticano, & Alexandrino.*

EE

Spectant ad res Pruſſiæ, & perindè Varmiæ uti partis Pruſſiæ, *Relatio de eiusdem Prouinciæ ſtatu tam antiquo, quàm præſenti*, tranſmiſſa ad Pontificiam Secretariam Status ab Eminentiſſimo De Via anno 1701. tunc Nuncio Apoſtolico in Poloniæ Regno: Et Breuia Apoſtolica, quæ exindè ſan. mem. Clemens XI. Paſtoralis ſuæ vigilantiæ inſtinctu ad Orthodoxos Principes dedit ſignandum ad F. Ludovicum Comitem Palatinum Rheni Ordinis Theutonici Magiſtrum eodem anno 1701. die 14. Maji.

Relatio R. P. D. Nuncij Apoſtolici Poloniæ ſuper Statu Pruſſiæ.

Et Breuia Apoſtolica glor. mem. Clementis XI.

FF

Quòd verò apud veteres Geographos Pruſſia habeatur inter *Germaniæ oras* diſertè probant *Eraſmus Stella de Boruſſiæ, ſeu Pruſſiæ antiquit.*, inter Scriptores Polonicos Piſtorii *tom. 1. pag. 8.* in præfatione Operis dicati Friderico Saxoniæ Duci Theutonici Ordinis Proto-Magiſtro, ibi: *Facilè demùm Princeps Illu-*

In ratione veteris Geographiæ Varmia inter oras Germaniæ recenſentur.

Illustrißime deprehendes, quàm iusto Dei judicio Borussia ad Germanorum redierit incolatum, cum Germaniæ, & pars sit, & Germanis à rerum exordio debita, inhabitataque luculentissimorum Scriptorum testimonio.

Præter Æneam Syluium, qui *omnem Prussiam asserit fuisse Theutonicam*, ut retulimus hoc *Summario sub num. 27. lit. C.* Philippus Cluuerius Geographorum facilè Princeps *in Germania antiqua lib. 1. cap. 11. pag. 77. secundæ edit.*, ubi Prussiam in Germania veteri pluribus probat.

Christoph. Hartknochius Historiæ Professor in Regia Poloniæ Urbe, Thorunij dissert. 3. num. 15. pag. 66., & dissert. 14. in serie Episcoporum Varmien. Prussos origine Germanos esse affirmat.

GG
Morerij falsa de Varmia assertio.

Et hos insignioris nominis Authores sat sit adduxisse in oppositum *Lexici Geograph., & Dictionar. Moreri* ex aduersò allegatorum, quibus non immoramur, non enim novum est in pluribus hallucinatum esse *Morerium, ut Bayl. in suo Dictionar. Critico* latè euincit, & nos eundem Morerium bis errare deprehendimus in ipsa Varmiensis Regionis descriptione, dum Brunsbergam, quæ Varmiensis Ditionis Metropolis est sub dominio temporali ejusdem Episcopi, ipse falsò asserit illam in Ditione Brandeburgica existere, ibi sub verbis: *Brunsberga & Brandeburgum.*

Ast quidquid recentiores de præsenti Prussiæ statu, mutatoque ejus dominio proferunt, neutiquam inficiamur ad nostrumnamque propositum sufficit docuisse de antecedenti Statu Varmiensis Ecclesiæ non incompatibili cum illius comprehensione sub Concordatis Germaniæ acceptatis de tempore, quo Prussia fuerat juris Theutonici; Si autem ex sub-

secuta

ſecuta mutatione Status Pruſſiæ præſumatur, immutatus quoque prædictæ Varmien. Eccleſiæ ſtatus, id alleganti incumbit onus probandi. Nos juvat inhærere Sacrorum Canonum præſcripto, & univerſim receptæ Regulæ, *quod mutatio temporalis, Civilisque Regiminis, non valeat perindè mutare Eccleſiarum ſtatum, earumque Iura Eccleſiaſtica diſſoluere*, ut ſuo loco plenius, & perpetuis aliarum Eccleſiarum exemplis deducimus.

Cæterùm nos, dum antiquiora memoramus, recentia colimus, & præſentem ſequimur ſortem, ſub fide veneratáque tutela Sereniſſimorum Poloniæ Regum ſemper permanſuri; in id fert animorum conſtans fidelitas, rationabili dumtaxat obſequio, & non per calcata Eccleſiæ Iura.

HH

Alumni ex Varmia acceptantur in Collegio Germanico inter cæteros Nationis Germanicæ.

Pro Corollario, & cumulatiori probatione, quòd Germani uſque in tempus præſens incolunt Varmiam, faciunt Libri Collegii Germanici S. Apollinaris de Vrbe, in quibus reperiuntur deſcripti Alumni ex Varmia advenientes, qui in dicto Collegio inter alios Nationis Germanicæ acceptati fuêre, & ſignanter inter recentiores adſunt in eiſdem Libris. qui hic ſubnotantur, videlicet:

Die 11. *Nouembris* 1701, *D. Florianus Bialkowſcius ex pruſſia D. Varmienſi patricius venit ad Collegium Germanicum, & Hungaricum jam Sacerdos annum agens* 25. *poſtquam ſtuduerat Philoſophiæ, & per duos annos Theologiæ Brunsbergæ. Diſceſſit ex Collegio die* 20. *Auguſti* 1703. *poſt ſuſceptam Lauream Doctoratûs.*

De altero Alumno ex Varmia acceptato in dicto Collegio Germanico conſtat *ex eisdem Libris ſub die* 9. *Decembris.* 1710.

Num. 28. *Decretum Sac. Congreg. Consistorialis 4. Decemb. 1698.*

A

VARMIEN. PROVISIONIS.

Cùm Capitulum, & Canonici Cathedralis Ecclesiæ Varmien. eueniente casu vacationis jus eligendi Episcopum sibi competere deduxerint, & aliàs in Decretis prouisionum ejusdem Ecclesiæ in Consistorio factis, dicti Capituli electio, seu postulatio confirmata, & admissa respectivè fuerit; ab aliquo autem tempore supplicationis tantùm Regum Poloniæ mentio facta sit, ideoque Capitulum, & Canonici præfati, nè illorum jus detrimentum patiatur, supplicauerint, ut deinceps in hujusmodi Decretis, electionis, seu postulationis Capituli mentio fieri debeat, Sacra Congregatio rebus Consistorialibus præposita supplicationi Capituli annuendum censuit, & in posterùm hujusmodi electionis, seu postulationis unà cum supplicatione Regis Poloniæ in Decreto, ac Schedula Consistorii quoties dictam Ecclesiam vacare contigerit, mentionem respectivè faciendam esse mandavit, & facta relatione, Sanctitas Sua, *Sacræ Congregationis sententiam benignè probavit.* Datum Romæ die 4. Decembris 1698.

Num. 29. *Aliud Decretum eiusdem Sac. Congreg. die 17. Decemb. 1711.*

VARMIEN. POSTULATIONIS.

Perpensa postulatione Capituli vacantis Ecclesiæ Varmien. in eorum Episcopum de persona R. P. D. Theodori Potocki Episcopi Culmen., Sacra Congregatio rebus Consistorialibus præposita, censuit, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, *eam esse admittendam*, & juxta Decretum Sacræ Congregationis diei 4. Decembris 1698. tam in Decreto, & Schedula Consistorii, quàm in expeditione Bullarum, admissæ postulationis Capituli, unà cum supplicatione Sereniſſimi Poloniæ Regis, mentionem esse

esse faciendam. Et facta per me infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua, *Sacræ Congregationis sententiam benignè probauit.* Dat Romæ die 17. Decembris 1711.

Num. 30.

Sanctio Sigismundi I. super quatuor Candidatis de gremio Capituli à Sereniſſimis Poloniæ Regibus nominandis ad Epiſcopatum Varmien.

In nomine Domini, Amen. Ad perpetuam rei memoriam Nos Sigiſmundus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ; nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Cujaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, ac Culmen., Elbingen., Pomeraniæque &c. Dominus, & Hæres. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, Vniuerſis, & ſingulis, præſentibus, & futuris harum notitiam habituris. Quòd cum defuncto bo. mem. olim Reuerendiſſimo in Chriſto Patre Domino Luca Epiſcopo Varmien. ejuſdem Eccleſiæ Prælati, & Canonici, ad electionem novi Epiſcopi, & Paſtoris, proceſſiſſent, fuiſſetque orta aliqualis controuerſia, ſuper eadem electione, quæ videbatur nobis facta non obſervato tenore, cujuſdam Articuli, inter olim Sereniſſimum Principem, D. Caſimirum Regem Poloniæ Genitorem noſtrum Chariſſimum, & Reuerendiſſimum Patrem D. Nicolaum Epiſcopum Varmienſem, ac ejus Capitulum, per quandam inſcriptionem facti, in quo cauetur: *Quod iidem Prælati, & Canonici Eccleſiæ Varmien., defuncto eorum Epiſcopo, perſonam gratam Regibus Poloniæ eligere teneantur.* Cumque ejuſdem Articuli de eligenda Regibus Poloniæ grata perſona, interpretatio in dubium hinc indè traheretur; Nos proſpicere cupientes, nè qua poſthac controuerſiæ occaſio, inter Nos vel Succeſſores noſtros Reges, &. Epiſcopum, & ejus Capitulum dictæ Eccleſiæ Varmien. ſuper electione Epiſcoporum, & gratitudine perſonæ eligendæ

A

B

exoriri poſſit. Ad tollendam omnem ejusdem Articuli in poſterum ambiguitatem, matura deliberatione, & conſultatione, cum Conſiliariis noſtris
C ſpiritualibus, & ſæcularibus habita; Cum Reverendiſſimo Patre D. Fabiano Epiſcopo Varmien. moderno, ac ejus Eccleſiæ Capitulo, in hunc, qui ſequitur modum deuenimus. *Quòd cùm contigerit vacare Eccleſiam Varmienſem, Prælati, & Canonici ejuſdem Eccleſiæ tempeſtivè, & ante electionem novi Epiſcopi*, mittere tenebuntur de gremio ſui, Nuncios ad Nos, & Succeſſores noſtros, legitimos Reges Poloniæ, ſi fuerimus, aut iidem Succeſſores noſtri fuerint in Polonia, non tamen in Terris Ruſſiæ, aut Magno Ducatu Lithuaniæ, uſque Vilnam, & non ulterius. Et ſignificare per eoſdem Nuncios ſuos, obitum ſui Epiſcopi, & diem electioni noui Paſtoris præfinitum; Et prætereà dicere tenebuntur, nomina omnium Prælatorum, & Canonicorum Eccleſiæ ſuæ præſentium, & abſentium ab Eccleſia, & declarare pro eorum judicio fideliter, & veraciter, vitam, mores, dignitatem, genus, & omnem conditionem ſtatus uniuſcuiuſque. *Quodſi forſan pro eo tempore; Nos, aut noſtri Succeſſores, non eſſemus*, ſeu non eſſent in Polonia, ſed in Terris Ruſſiæ, aut ultra eſſemus, ſeu Succeſſores noſtri eſſent, in Magno Ducatu Lithuaniæ ultrà Vilnam. *Tunc iidem Prælati, & Canonici, nè forte electio nimis tardetur*, & Eccleſia præfata alicui periculo, aut incommodo ſubjiciatur; Obligati erunt per ſuos Nuncios omnia ſuperiùs deſcripta, *Reverendiſſimo D. Archi-Epiſcopo Gneſnen.* pro tempore exiſtenti, aut ejus Paternitate extra ſuam Prouinciam exiſtente, Vladislavien., aut Plocen. Epiſcopo ſignificare,

care. Qui quidem D. Archi-Epiſcopus, ſive alter ex ſupradictis Epiſcopis, illo abſente, ſine omni mora per ſuum Tabellarium, ſive Nuncium, de illis omnibus, quæ ſic ſignificabuntur, Nos, & Succeſſores noſtros curabit reddere certiores. *Ex quibus quidem Prælatis, & Canonicis ejuſdem Eccleſiæ, quatuor pro arbitrio noſtro nominabimus, non alios tamen, quàm qui ſint veri Terrarum Pruſſiæ indigenæ*, ac per ſpecialem Nuncium noſtrum, & literas clauſas ſignificabimus ipſi Capitulo, quos judicaverimus ad illius cultum dignitatis, & locum in Conſilio noſtro magis idoneos, & Nobis gratos. *Ipſi verò Prælati, & Canonici prædicti, unum ex illis quatuor, quem voluerint, aut judicauerint meliorem, & utiliorem deligere in Epiſcopum tenebuntur, & erunt adſtricti.* Et quia ex longa mora electionis, aliqua difficultas, vel impedimentum euenire poſſet, itaque poſt acceptum de morte Epiſcopi, à Capitulo Nuncium, ſupradictos quatuor, *octo dierum ad ſummum ſpatio nominare debemus.* Et hoc ampliùs adiiciendum, ipſi D. Fabiano Epiſcopo, ejusque Eccleſiæ Varmien. Capitulo aſſentientibus voluimus, quòd ſi quando Nos, vel Succeſſores noſtri filium, ſive fratrem germanum inter quatuor ſupradictos nominare vellemus, qui priùs eſſet de gremio Capituli Eccleſiæ prædictæ, id in noſtro, & Succeſſorum noſtrorum Regum Poloniæ arbitrio, & poteſtate erit, ac ſi iidem filius, vel frater, Terrarum Pruſſiæ indigena eſſet; *Cùm autem dicti Prælati & Canonici, ſicut præfertur, unum ex eiſdem quatuor nominatis elegerint, intimare debebunt, Nobis, & Succeſſoribus noſtris, novum electum, & cum eo ſupplicare, ut illum noſtris Literis Sedi Apoſtolicæ, & Sanctiſſimo Do-*

D

E

mino commendemus, ut electionem de eo factam cum gratia confirmare dignetur. Qua quidem confirmatione, & proviſione ſecuta, idem electus juxta tenorem, & inſcriptionem, cum ſuperiùs nominato, olim D. Nicolao Epiſcopo Varmien., & ejus Capitulo factam, præſtabit juramentum Nobis, & Succeſſoribus noſtris, prout in eadem inſcriptione latiùs continetur. Reliqua verò, quæ in eisdem Articulis, cum ſupraſcripto D. Nicolao Epiſcopo Varmienſi habita continentur, ſalva, & integra permanere debent in perpetuum, & inviolabiliter obſervanda. Ea verò quæ his literis continentur, ipſe D. Fabianus prædictus Epiſcopus Varmienſis cum Capitulo Eccleſiæ ſuæ, firmiter, illæſè, & inconcuſſè, tenere, exequi, & inviolabiliter perpetuò obſervare debebit, & Epiſcopi Succeſſores debebunt. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præſentes literas ſcribi fecimus, & ſigillo noſtro communiri. Act. in Conventione generali Piotrkovienſi, die Martis ſeptima menſis Decembris, aliàs in Vigilia Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, anno Domini 1512., Regni verò noſtri ſexto Præſentibus Reverendiſſimo, & Reverendis in Chriſto Patribus, Dominis, Ioanne Archi-Epiſcopo Gneſnen., Primate Regni Poloniæ. *Sequuntur alia nomina, & Cognomina omnium ex Ordine Senatorum tam Eccleſiaſticorum quàm Sæcularium, cæterorumque Regni Officialium, & Conſiliariorum, qui in generali eo Conventu interfuerunt ad fidem præmiſſi Actus Teſtes omni exceptione majores.*

In Calce adeſt ſubſcriptio Matthiæ Epiſcopi Præmislien., & Regni Poloniæ Supremi Cancellarii, & ejusdem Relatio &c. cum alligato penſili ſigillo Regio.

Sequitur Legalitas &c. AVGV-

AVGVSTVS SECVNDVS Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Liuoniæ, Smolenſciæ, Seueriæ, Ciernichouiæque, necnon Hæreditarius Dux Saxoniæ, & Princeps Elector.

Venerabiles fideliter Nobis dilecti.

Num. 31.
Litera Regiæ nominationis quatuor Candidatorum ad Epiſcopatum nouiſſimè datæ ad Capitulum Varmien.

Poſt Translationem ad Archi-Epiſcopatum Gneſnenſem, Primatialemque Dignitatem Reverendiſſimi in Chriſto Patris, Domini Theodori Potocki, Præſulis veſtri immediati, de ſubſtituendo in locum ipſius Succeſſore condigno ſoliciti, mittimus ad Fidelitates Veſtras Nuncium noſtrum Venerabilem Franciſcum Kobielski Præpoſitum Cathedralem Cracovien.; Cui commiſimus, ut præmiſſis Gratiæ noſtræ Regiæ teſtimoniis Fidelitatibus Veſtris Candidatos ad eandem Cathedram quatuor, juxtà uſitatam praxim, videlicet: Reverendum in Chriſto Patrem Chriſtophorum Ioannem in Słupow Szembek Epiſcopum Præmislien. Ven. Albertum Grzymała. Florianum Białkowski, Ioannem Burchert Canonicos Varmien. proponat, ac Fidelitates Veſtras Regiis noſtris reſpectibus obliget, ut vota, & ſuffragia ſua in perſonam dicti Reverendi in Chriſto Patris Chriſtophori Szembek, uſibus Eccleſiæ, & Reipublicæ magis opportunam exigentibus id eximiis virtutibus, & præſtantiſſimis ipſius meritis, conferant, eundemque poſtulent. Quòd fuſiùs Felicitatibus Veſtris idem Nuncius noſter exponet, cui ut plenam in omnibus fidem adhibeant commendamus, ac bonam iisdem à Domino Deo vovemus valetudinem. Dat. Varſaviæ

saviæ die 19. mensis Decembris, anno Domini 1722., Regni nostri 26. anno.

AVGVSTVS REX.

Sequitur legalitas &c.

SANCTISSIME, ET BEATISSIME PATER, Domine Domine Colendissime.

Num. 32. *Litera ad Sanctissimum D. N. datæ à Capitulo Varmien. pro notificatione postulationis, cuius Instrumentum transmissum fuit ad Serenissimũ Regem iuxta formam conuentam in concordia inita inter Sereniß. Reges Poloniæ, & Capitulum.*

Post oscula Beatissimorum pedum SANCTITATIS VESTRÆ, & obsequiorum nostrorum humillimam commendationem. Vacante Sede hujus Episcopatus Varmiensis, SANCTITATI VESTRÆ semper devotissimi, per Translationem Celsissimi Principis, & Reverendissimi Theodori Potocki ad Archi-Episcopatum Gnesnensem, primæ in hoc curæ nostræ insudabant, quatenus juxta receptum usum, & morem, electionem futuri Episcopi indiceremus, diemque illi designaremus. Citatis itaque in diem hodiernum, & terminum per prævium publicum Edictum omnibus, & singulis, qui huic electionis actui interesse tenentur, convenimus in locum consuetum Consultationibus Capitularibus destinatum, de electione, sive postulatione futuri Episcopi tractaturi, ac in eo loco Congregati omnes & singuli, invocata priùs intra Sacra Missarum solemnia, Spiritus Sancti gratiâ, nullo alio tractatu præcedente, Divina inspiratione, Reverendissimum in Christo Patrem, Christophorum Ioannem in Słupow Szembek Episcopum Præmislienſem, actu Canonicum hujus Ecclesiæ nostræ Cathedralis, præter splendorem Natalium, ampliſſimis virtutibus, cultusque Divini promovendi zelo conspicuum in Episcopum, & Pastorem Animarum nostrarum, secretis, & concordibus suffragiis elegimus,

seu

ſeu poſtulavimus, factamque taliter electionem, ſeu poſtulationem, per Reverendiſſimum Ioannem Franciſcum Kurdwanowski, Suffraganeum, & Præpoſitum, ac Præſidem Capituli, in noſtrum omnium præſentia, tum Cleri, & Populi frequentia, juxta Ritum hujus Eccleſiæ ab antiquo obſervatum, pulſatis omnibus campanis, Pontificaliter publicari fecimus, ac in gratiarum actionem Divinæ Majeſtati perſolvendam Hymnum Ambroſianum decantavimus. Beatiſſimis igitur SANCTITATIS VESTRÆ pedibus advoluti, humillimè ſuppiicamus, quatenus SANCTITAS VESTRA electionem, ſive poſtulationem hancce noſtram canonicè abſolutam confirmare, & ratihabere, ac huic Diœceſi de præfato Paſtore provideri mandare dignetur. Vt verò SANCTITATI VESTRÆ vota & ſuffragia noſtra unanimiter in antedictum electum, ſeu poſtulatum noſtrum derivata conſtent, Canonicum hocce electionis Decretum, Beatiſſimis SANCTITATIS VESTRÆ pedibus ſubſternimus, manibus noſtris propriis ſubſcriptum, & ſigillo noſtro Capitulari ſignatum. Dat. ad Eccleſiam noſtram Cathedralem Varmienſem, die 14. Februarii anno 1724. ex Capitulo ad hunc Actum ſolemniter celebrato.

SANCTITATIS VESTRÆ

Deuotiſſimi, & Subiectiſſimi Serui

Ioannes Kurdwanowski Epiſcopus Marocen. Suffraganeus Præpoſitus Varmien. Præſes Capituli.

Bernardus Theodorus Baro de Schenck Decanus, & Canonicus Varmien.

Michael Remigius Laſzewski Cuſtos Canonicus, & Sede vacante Adminiſtr: Gen: Epiſcop: Varmien.

Sequuntur ſubſcriptiones cæterorũ Canonicorum ſuo ordine &c

PROPOSITIONIS ECCLESIÆ VARMIEN.

Num. 33. *Decretum ultimarium ejusdem Sac. Congregat. die 31. Aug. Anno 1724.*

Poſt expenſum modum proponendi Eccleſiam Varmien. in Conſiſtorio, priùs in Sac. Congregatione Conſiſtoriali Generali, & deinde in Partiali, ut res citius expediretur, à Sanctitate Sua deputata, Eadem Partialis Congregatio cenſuit præfatam Eccleſiam Varmienſem proponendam eſſe, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit, cùm ſequenti expreſſione, videlicet: Ad ſupplicationem Sereniſſimi Regis Poloniæ, prævio Actu Capitulari Canonicorum dictæ Eccleſiæ factô, ad formam Concordiæ initæ anno 1512. die ſeptima Decembr: inter Sigiſmundum Regem & Fabianum Epiſcopum à Sede Apoſtolica confirmatæ, & hactenus obſervatæ; Factaque relatione Sanctitas Sua Congregationis Sententiam benignè probavit. Dat. Romæ die 31. Auguſti Anno 1724.

Fr. Card. Paulutius (L.S.).

Dominicus Rivera dictæ Congr: Secretarius.



Pol. 8. 4. 1181

